Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar. Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord. Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal. Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...

Crantz, Heinrich Johann Nepomuk

[Wien], 1765

urn:nbn:de:gbv:45:1-10196

Visual Library

HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIAR.
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOB.
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.
ET SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

# MATERIÆ MEDICÆ
# ET
# CHIRURGICÆ

IUXTA
SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ

*EDITIO SECUNDA*
*CORRECTA ET AUCTA.*

---

## TOMUS TERTIUS.



IMPENSIS, IOANNIS PAULI KRAUS
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS
MDCCLXV.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



# ANTIDOTA GENERALIA.

Ea, quæ contra venena dantur remedia, generali nomine ANTIDOTA vocantur. Quæ contra venenatos ferarum morſus valent, ALEXITERIA, etiam THERIACA dicuntur, quæ arcent, depellunt venena, ALEXIPHARMACA appellantur &c.

Venenum vero omne illud vocatur, quod corpori animali applicatum illud conſtanter deſtruit, aut ſaltem in eo funeſtos effectus producit; quod quia non ſemper cognitum, ideo etiam ea primo loco recenſentur Antidota, quæ omnibus ſubvenire poſſunt, non qui-

dem ſpecifica quadam vi, ſed generali, ex ipſa natura aſſumpti fluente.

ACETUM tam Vini, quam aliorum ſuccorum vegetabilium vinoſorum, ad Præparata ſpectat. *Germ.* Eſſig. *Gallis* Vinaigre. *Anglis* Vinegar.

*Liquor vinoſus, nova fermentatione calida corruptus*, ACETUM dicitur, & fit, quando acidum vini exaltatum ſubigit, atque figit partem propriam oleoſam, ſeu ſpirituoſam, qua ſubacta acetum eſt, ut bene ETTMULLERUS: contra vero dum vino ſubrepens aciditas tollitur, acetum non fit, SHAW; tollitur autem ſpiritu vini tartariſato vino commixto, IDEM, imo & duraturum ſemper & incorruptibile vinum reddi poteſt ſolius aquoſæ partis diſſipatione, IDEM *Leçons de chymie traduites de l'Anglois*, *Paris*.

Ars faciens de vinis aceta fermentationem acetoſam variis modis inducere ſolet, eſtque in hac re magna diverſitas, maxima itidem in ipſis ſubiectis, ut inde coloris, ſaporis, imbecillitatis, vel efficaciæ, differentiæ innoteſcant. Etſi vero in uſum communem varia adhibeantur aceta, acetum tamen vini aliis fragrantius ſolum medici adhibent, unde & de hoc maxime agam.

*Principia* igitur Aceti inde facile intelliguntur: Conſtat nempe præter aquam, acido vini fixiori, ſpiritibus ardentibus, tum & vini tartaro. Spiritus inflammabiles aceto ineſſe experimenta BOERHAAVE, & Pariſienſium clare demonſtrant: acetum poſt congelationem concentratum, deſtillatum, rectificatum, dedit ſpiritum ardentem. Tartari vini in aceto præſentiam firmiſſimo argumento probat TACHENIUS, dum

dum alcalino ſali, ex fæce poſt deſtillationem aceti remanente combuſta, acetum deſtillatum ſuper affundit, ut ſaturetur, & phlegma avocando, exhibet tartarum naturæ eiusdem vini, de quo acetum fuerat, deſumptum; non ignobiliori idem confirmat FEVRE, de forti aceto ad mellis conſiſtentiam inſpiſſato, cryſtalliſato, Tartareas cryſtallos producens.

Acidum hoc acetoſum diſtinctum eſt ab omni acido minerali, docet id eius vappeſcentia & putrida corruptio, volatilitas & penetrabilitas ab aliis huic conciliata, natura ſalis medii acido acetoſo facti & acido minerali brevi deſtructa &c. Cæterum plurimorum corporum tam foſſilium quam vegetabilium menſtruum, ut in diverſarum ſubſtantiarum hiſtoria patebit.

VIRES antiputredinoſæ maximæ, ut in febribus putridis exanthematicis, & aliis omnibus, in quibus aut a ſtimulo acrioris bilis, aut alcaleſcentia ſalis, aut putridi cuiuscunque, incendium ortum eſt, medici nihil habeant commendatius, BOERHAAVE: ad corruptionem mortiferam, gangrænoſos reptatus, putrida ulcera, chirurgi nihil pulchrius, IDEM. Ad cancrum nondum apertum in fotu acetum non eſt ſpernendum. Vires excitantes, & ſubtili ſuo ſale nervos vellicantes in debilibus, languentibus, lethargicis, ſoporoſis, ſyncopticis proficuæ, etiam ſubveniunt convulſis, hypochondriacis, & hyſtericis, temulentis: ſudoriferæ ob eius penetrabilitatem certæ, unde acetum in omnibus morbis malignis tantum laudatum, antipeſtilentiale, etiam theriacale audit: morſui curando virulentorum animalium aliud non eſſe poſca efficacius BOERHAAVE, & nuper hauſtum caſu acetum Hydrophobum Udinæ ſervavit & repetitum Paduæ experimentum confirmatum fuit *The London Chronicle* Nro. 1170 Iune 19.

 Ad-

Adhæc aceti vapor Orthnopœæ varioloſæ ex inflammatione Pulmonum ortæ præ omnibus aliis cito medetur TYSSOT *de Variol.* & oxycratum in inflammatione mammarum iam olim laudatum etiam hodie probatur.

Cæterum ſunt etiam, qui acetum contra obeſitatem nimiam, epotum laudent, & porrigant, tum nautis contra ſcorbutum exhiberi debere contendant; in fungis venenatis antidotum non ſatis probavit HATTE *Recueil periodique* T. III. Melius commendavit ad infringendam hyoſciami, plantarum aliarum narcoticarum vim *Cl.* VANDERMONDE T. IV. Notari meretur ſalia volatilia animalia, ex oleo combuſto fœtidiſſima, affuſo aceto digeſta, deſtillata, grata fieri, ROG. BACON. *Cl.* HUXHAM, experimentis. Quantum non inde officinis lumen!

PRÆPARATA. *Acetum deſtillatum*, ſpiritus nempe aceti, maxime acetoſus, in iisdem caſibus utilis, interne minori doſi propinandus. Tum adſunt adhuc aceta multa ſimplicium plantarum, officinis dicta ſimplicia, ut rutæ, ſambuci, ſcilliticum &c. Sunt & compoſita Bezoardica, Theriacalia & alia.

Componi demum & alia adhuc Medicamenta poſſunt pluribus in morbis efficacia, dum acetum ſubſtantiis aut terreſtribus aut alcalinis ſaturatur, ut lapidibus cancrorum, Magneſia alba, ſale tartari, hæc enim minori doſi data aperientia evadunt egregia, maiori aut diuretica aut purgantia, atque hæc ratio eſt præparatorum nonnullorum officinalium tartari regenerati, terræ foliatæ tartari, & arcani tartari. Poſſent tamen etiam fieri ſtyptica remedia dum terra aluminoſa aceto ſolveretur & ſudorifera dum alcalina volatilia illi ad punctum

ctum ſaturationis indantur, talis eſt ſpiritus Mindereri, doſis unciæ ſemis.

AQUA, *Hydrologorum* Aqua communis. Claſſis Aquarum ſimplicium. *Germ.* Waſſer. *Gallis* Eau. *Anglis* Water.

Quid aqua ſit? quæ eius ſint proprietates? omnibus ſcriptum philoſophis. Aquarum diviſiones dictæ WALLERIO, criteria HIERNE, MARGGRAF, & aliis. In corpus humanum effectus plurimis recenſiti medicis RIEGERO, SCHWERTNERO, HOFFMANNO, qui etiam de aqua, ut univerſali medicina, ſcripſit. De aquæ frigidæ ſalubritate ad firmandas laxas partes Anglorum nota experimenta ſunt; de eiusdem ad curandam hæmoptoen ſorbitione, Italorum, etiam *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN confirmata. Gelidæ, aut aereæ conglaciatæ vis in congelatis membris perſpecta eſt; calidæ, maxime vero eius vaporis, in relaxandis contractis, & emolliendis duris partibus certa, ut inde paucis eius virtus perſpici poſſit.

Sed & cognita eſſe debent, tum in præſcriptionum, tum in experimentorum chemicorum ſcopum, ea quæ poſt alios, ratione ſolubilitatis ſalium in aqua, inſtituit tentamina *Cl.* SPIELMANN, quibus evincitur in calore qui Thermometrum ad quinquageſimum ſcalæ Fahrenheitianæ gradum ſuſtineret, aquæ deſtillatæ unciam unam diſſolviſſe

| | | |
|---|---|---|
| Terræ foliatæ tartari | - - *grana* | 470. |
| Salis Sedlicenſis | - - - - | 384. |
| Sacchr. Thomæi | - - - | 360. |
| Salis Epſomenſis | - - | 324. |

| | |
|---|---|
| Salis Tartari - - | *grana* 240 |
| Vegetabilis - - - | 212 |
| Vitrioli albi - - - | 210 |
| Salis Gemmæ - - - | 200 |
| Sodæ - - - | 200 |
| Ammoniaci - - - | 176 |
| Communis - - - | 170 |
| Mirabilis GLAUB. - - | 168 |
| Lotharingici - - | 168 |
| Digeſtivi SYLVII - - - | 160 |
| Polychreſt. SEGNET. - | 137 |
| Vitrioli cærulei - - - | 124 |
| Viridis - - | 80 |
| Nitri depurati - - | 60 |
| Salis Polychreſt. GLAS. - - | 40 |
| Tartari Vitriolati - - | 30 |
| Mercurii Sublimati - - | 30 |
| Boracis - - | 20 |
| Aluminis - - - | 14 |
| Salis volat. ſuccini - - | 5 |
| Arſenici - - | 5 |
| Tartari crudi - - | 4 |
| Cremoris tartari - - | 3 |

Quanquam vero aqua determinatam unius ſalis portionem ſolum ſolvat, eadem iam priorem continens, & alium ſolvere valet, & tertium quin, & ſecundo etiam tertio ſale impraegnata novam iterum primi ſalis portionem ſolvere valet *Cl.* LEMERY *Acad. des Sciences* 1724.

Cæ-

Cæterum ea omnium maxime generalis antidotus habetur, quatenus ſua fluiditate, penetrabilitate, & commiſcibilitate plurima diluit, abluit, enervat, ſolvit, quale memorabile nobis exemplum de miſero ex amore melancholico, haud parcam mercurii ſublimati ſumente portionem, aqua tepida epota curato, reliquit SYDENHAM. Ipſum arſenicum, indomabile venenum, aqua domari, glyres teſtantur, & acerrima alia venena aqua dilui, infringi, in omnibus experimentis eſt, ut dubium ſupereſſe non poſſit.

Eſt tamen etiam in hoc negotio aquæ ſinceræ, & tepidæ potior præſcriptio, tum quod aliis corporibus minus imprægnata prior, & tepida magis ventriculum ſubvertat, atque tamen per omnes inſinuationis modos, hauſtu, clysmate, balneo, fomento, applicanda eſt. Frigidæ aliis in caſibus non minor laus: ita epilepticos affuſione copioſa aquæ frigidæ iuvari vidit SAUVAGES *Acad. des Sciences 1739.* & aquam glacie aut nive frigidiſſimam redditam tympaniticorum abdomini applicatam etiam potu conceſſam profuiſſe COMBALUSIER *Pneumatopath.* & infantum excoriationes non alia re certius & tutius percurari, quam linteis aquæ aut pluviali aut fluviali frigidæ intinctis, applicatis BOEHNECKEN. Nec alia ſunt contra Rheumatismos, doloremque iſchiaticum potentiora quam balnea aquæ frigidæ præſidia, quæ etiam efficaciſſima imperato ſimul Kinæ uſu in debilitate tam a pollutione nocturna quam a manuſtupratione inducta expertus *Cl.* TYSSOTUS *de morbis ex manuſtupratione.*

MEL *Offic. Zoologorum* Apum Productum Mel. Claſſis Inſectorum. *Germ.* Honig. *Gallis* du Miel. *Anglis* Honey.

Saccharum animale odoratum, vocari productum hoc apum, reſinoſo-mucilaginoſum, ſpiſſioris conſi-

ſtentiæ, ſaporis dulciſſimi, odoris grati, coloris vel albicantis, vel pallide flaventis, vel etiam ſaturatioris, iure poſſet, licet etiam de eius natura controvertant plurimi; hi enim vegetabile productum, quod in nectariis florum iam mellitum fuerat, etiam plantæ, unde deſumptum, odorem ſervat, habent; alii & id concedunt, & in ventriculo apum digeſtum in mel verum tantum elaborari, caſte concludunt. Cœli ſudorem, ſyderum ſalivam, cœleſtem rorem, expreſſione metaphorica magis, quam naturali, dixit PLINIUS, quam tamen *Cl.* WALLERIO in HIERNE arridere video, qui etiam mel turgere ſpiritu mundi & acido univerſali, nec ad animale, nec ad vegetabile regnum referendum eſſe mira ſententia contendit *ibidem*, dum tamen ex melle ſaccharum candum cryſtalliſatum in omnibus experimentis educit BAUME *Elemens de pharmacie* p. 362. manifeſto vegetabilis materiei teſtimonio.

Quoniam vero ipſum mel virtutem illarum plantarum, ex quibus ab apibus gregariis colligitur, pertinaciter ſervat, intelligitur, cur ex gratis aromaticis plantis gratum, ex amaris amarum, ex venenatis venenatum, quorum plurima exſtant teſtimonia: ita DIOSCORIDES in Sardinia gigni mel amarum, quod apes inibi abſynthio veſcantur: Heracleæ in Ponto, quibusdam anni temporibus, propria quorundum florum dote, mel gigni, quod mentem alienaret, & ſudore perderet, PLINIUS; plantam vero, ex qua conficeretur, a caprarum pernicie *Ægolethon* nominat: tum in eodem Ponti ſitu, gente ſannorum ab inſania quod gignit mel, *maenomenon* fieri, idque contrahi flore rhododendri. PLINII obſervationem confirmavere R. P. LAMBERTI Miſſionarius in ſua *de Colchide Hiſtoria*, tum ipſe TOURNEFORTIUS *voyage du Levant*, & ægo-

ægolethron vocat chamærhododendram maximam, ponticam, meſpili folio, flore luteo, & rhododendron PLINII, Chamærhododendram ponticam, folio laurocerafi, flore cæruleo, purpuraſcente.

Quæ vero ſymptomata venenatum mel inducat, XENOPHON, ut & DIODORUS SICULUS, docent. Decem mille hominum exercitus, ad Trapezuntum ſtativa habens, alveariis apum, in quibus multum mel collectum fuerat, indulſerat; ſed hi ſurſum deorſumque moti, & evacuati cum delirio; alii aliter affecti, ita tamen, ut, qui adhuc corpore conſtarent, non conſtarent mente: nam & hi ebriorum, alii maniacorum in morem agebant, ſtratis etiam humi aliorum corporibus, quaſi cadaveribus, non aliter, ac poſt cædes conſpicitur: Nullus tamen, quod mirandum, inde deſideratus: ſed vis veneni circa eandem horam ſequenti die, qua priori aſſumptum fuerat, fracta conſpiciebatur, ita ut poſt tres, quatuor dies, reſurgerent quidem, ſed quaſi violento medicamento purgante fatigati.

Præter plantarum, ex quibus colligitur mel, diverſitatem, unde mellis ſalubritas, odoris, & ſaporis differentia, pendent, adhuc magnum ratione coloris, conſiſtentiæ, puritatis, bonitatis, diſcrimen patitur. In omni ſpecie laudatur virgineum, nulla adhibita arte, ex favis diffractis, craticulæ impoſitis, defluxum; expreſſum, ceram redolens, deterius eſt; elutum, coctum, deterrimum, fuſcum, ad hydromel utile. Adulteratum farina, magis albidum eſt, vix odorum, glutinoſum. Conſiſtentia, color, odor, ſapor, aliarum fraudum criteria ſunt. Mel coctione amareſcit, & igne ut ſaccharum inflammatur. Sapo eſt, ſed aceſcens, aqua,

Landesbibliothek Oldenburg

aqua, ſpiritu vini ſolubilis, fermenteſcens, exquiſitus ſapo, bilem reſolvens, balſamicus, pectoralis, nec inflammabilis, antequam fermenteſcat. ARBUTNOT. *An eſſay concerning the nature of aliments.*

USUS eius iam antiquis, tam in alimentis, quam medicamentis multus, etiam ad longævitatem ducens, teſte POLLIONE, & DEMOCRITO. Cadavera in melle ſepeliiſſe antiquiſſimos Babylonios HERODOTUS reliquit, & vegetabilia melle condita, veteres omnes officinæ. Adverſus venena linctum, & potum mel DIOSCORIDES laudat, utique abſtergens, demulcens, ſaponaceum, oleoſa aquoſis miſcet. Eſt autem abſtergendi mellis vis ſumma, ut etiam ab hoc multum comeſto fauces exaſperentur, alvus ſolvatur; unde faucibus, tonſillis muco obſitis, anginæ pituitoſæ, collutum gargariſatumque medetur, linctum & potum tuſſi, aſthmati obvenit, & cum ſuccis ſolventibus datum, hypochondriacam, & atrabiliariam ſaburram ſine calore liquat, & fundit; etiam lumbricos necat, quod & ſaccharum præſtat, RHEDI; licet vulgo credatur nutrire, & generare vermes.

Externe in ſordidis ulceribus egregium depurans, digeſtivum, ſaponaceum, antiputredinoſum mel, etiam in furunculis ſimilibusque tumoribus maturans, addita farina ſub cataplasmatis, aut emplaſtri forma adhibitum.

PRÆPARATA. Mel *deſpumatum*, quod licet ad extemporaneas præſcriptiones naturali deterius ſit, ad magnas tamen officinarum compoſitiones etiam huic, quod minus in fermentationem pronum, præfertur. Officinarum deſpumatio non optima eſt: quæ

vaſe

vaſe fictili moderato calore lente peragitur, laudatiſſima L. B. van SWIETEN. Mel *coctum*, ut frigidum fragile fiat, ſuppoſitoriis aptum, & variorum baſis. *Aqua ſtillatitia*, acidum ſuo ſinu fovens per experimenta, pectoralis, diuretica. *Spiritus* ſaporis acris, penetrantis, acidi, cum alcalinis effervescens, ſi bonus, dicitur diureticus.

*Oxymel ſimplex*, abſtergens, incidens, antiputredinoſum, haud laudabiliter in officinis præparatum. *Oxymel ſquilliticum* ad compoſita ſpectat, & de ſquilla dicetur.

*Hydromel* cardiacum ſtimulans, reficiens, inebrians, vinoſum.

Compoſita alia ſub ſuis claſſibus ſunt. Ut mel *anthoſatum*, *Roſatum*, *Violatum &c.* quorum virtutes cognitis ſimplicibus patent.

OLEA Vegetabilium preſſa, Animalium fuſa, cocta; ad Præparata ſpectant. *Germ.* Oel. Fette. *Gallis* Huile. Graiſſe. *Anglis* Oil, Fat.

Corpus fluidum, lentum, inflammabile, aquæ minus permiſcibile, OLEUM: iisdem dotibus gaudens, magis conſiſtens, ex vegetabili, *butyrum*: ex animali *pinguedo* vocatur. Solidum, nec igne liquatum, *adeps*, liquatum *ſevum* dicitur.

Omne demulcens emolliens, laxans adeoque in caſu aſſumpti veneni indicatum, tum quia acrimoniam involvit, roſas partes demulcet, tum quia fibras omnes laxat, ſpasmos, & convulſiones a veneno rodente imminentes tollit. Utrumque quotidiana experimenta docent,

cent, & audaces hinc inde Agyrtarum, etiam venenum aſſumentium, proceſſus.

Eſt etiam, ubi in determinata acrimonia immediate olea agunt; ſic cum ſalibus alcalinis, & ſiccis, in ſaponem non amplius adeo nocuum confluunt, cum acidis potentioribus in pinguedinem concreſcunt experimentis Pariſienſium; cum calce plumbi conſiſtunt, coagulantur, maxime preſſa, *Exper. Pharmaceuticis* cum calce viva preſſa ſpiritu vini ſolubilia redduntur iamque imperfecti ſaponis ſpeciem conſtituunt, quod cauſtico debetur. MEYERS *Chymiſche Verſuche von ungelöſchten Kalch.* 1764.

Laudantur vero potiſſimum in hunc ſcopum olea recentia, ex vegetabilibus preſſa, quia mitiſſima, & pluri aquæ commixta, nec ideo magis aut aquæ, aut ſpiritui vini miſcibilia, GEOFFROY. *Acad des Sciences* 1741. licet deſtillata etiam ſpiritu vini ſolvantur, IDEM. Ratio MACQUERO dicta eſt *Acad. des Sciences* 1745. Rancida vero etiam venena ſunt. Similibus vero, ex partibus animalium pinguibus deſumptis, omni via ſubminiſtratis multum & aſſiduo, clysmate, fotu, embrocatione, oleoſo potu, ſæpe atrociſſimi, ventriculi & inteſtinorum dolores, tum ab his, tum ab aliis cauſis orti tolluntur; his dolores cardialgici, colici, nephritici, menſtruorum periodici, puerperarum tenesmoidei, ſopiti. Pingue clysma ſæpe excoriatis inteſtinis, dolenti hæmorrhoidi, veſicæ, utero, ſubvenit. Calidi omenti fotus quoties non profuit colicis, & puerperis? Embrocatione oleoſa convulſiones prævertere in ſe ipſo docuit GALENUS, & tepidi olei balneo convulſiones atrociſſimas ex halitu veneni chemici obortas quieviſſe, & diuturnam aliam convulſionem oleo amygdalino dulci recenter preſſo loco cœnæ ad uncias duas ſum-

Landesbibliothek Oldenburg

ſumpto, *Cl.* MORGAGNI *de ſedibus, & cauſis morborum per Anatomen indagatis* T. I. *Epiſt. Anatom. Medic.* X.

Inter anthelmintica etiam, olea in experimentis diſcipulorum LANZONI, primaria viſa, *Acta Phyſic. Medic. Acad.* N. C. Vol. I.

OPIUM *Offic.* Regni Vegetabilis productum. *Botanicorum* Papaver. Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Schwartzer Mohnſaft. *Gallis* Opium. *Anglis* Opium.

Planta, quæ hunc ſuccum per excellentiam ita vocatum, largitur, definitur Papaver *foliis ſimplicibus, glabris, inciſis* L. Multis in regionibus ſativa, imo etiam ſpontanea, in Aſia tamen maxime obvia, & eminenter narcotica, cuius rei magna in experimentis probatio, quod collectum ex Europæa planta opium, debilius longe, *Acta Edimburg.* extractum ignavius *Hiſt. de l' Acad. des Sciences* pronunciarint.

Veteribus ſuccus papaverinus iam duplex, primus ex inciſo papaveris ſcapo exſtillans, meconos opos, ſecundus ex tota planta contuſa extractus, priori ignavior, meconeium & meconium dicebatur. Opium noſtrum, ſitne verum opium veterum, aut ſolum horum meconium? multi plurimum diſputant; Opium lacrymatum nobis non eſſe, præter ſummos aliarum regionum Botanicos, Pariſienſes credunt. Contrarium vero evidentius KÆMPFERUS, & Edimburgenſes probant; ut, quia vel ſimplex, vel etiam ex lacrymato, & extracto conflari poſſit, quod nobis eſt opium, ſemper ſuccus e papavere orientali vel lacrymatus, vel extractus dici debeat.

In

Landesbibliothek Oldenburg

In panes denſos nigricantes coactum ad nos adfertur, fractum ex fulvo nigrum eſt, aloes colore laudabile, odoris viroſi, ſoporiferi, caput tentantis, ſaporis amari, linguam urentis, inflammantis. Gummi-reſinoſa hæc ſubſtantia ſale tam acido, quam alcalino conſtans, etiam oleo conflatur, ob id inflammabilis: Magna parte in aqua, maxima ſpiritu vini ſoluitur. Exigua doſi ſumpta dolorem præſentem tollit, vel ſi non adeſt, talem voluptatis ſenſum, ut perfecta is, qui aſſumpſit, indolentia, animi tranquillitate, felicitate, fruatur, inducit, L. B. van SWIETEN. Doſi aucta ſomnum conciliat, maiori temulentiam facit, quale nimis certum Turcarum, & Perſarum experimentum eſt; adhuc maiori lethargum, DIOSCORIDES, imo cauſat apoplexiam, mortem, GALENUS & alii; & ita in hanc rem PLINIUS. „Sic ſcimus interemptum Licinii Cæcinæ Prætorii viri Patrem in Hiſpania Bavili, cum valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet, item pleroſque alios;„ ut vel inde clarum ſit, quare deleterium omnibus habitum, calorem innatum exſtinguere, ſpiritus figere, conglaciare quaſi, in quarto gradu frigidum GALENO pronunciatum, licet per ſe tamen calidum ſit in experimento, & evidens, in ſola doſi ſalubritatis, aut lethalitatis punctum verſari, nec ideo unquam correctorio indiguiſſe, nec hodie egere.

VIS, qua GALENO tranquilla medicina dicitur, princeps eſt, dum manente doloris cauſa, doloris in mente ideam ſopit; facit id in omnibus doloribus ſpuriis partus, etiam doloribus poſt partum, arthriticis, rheumaticis, podagricis, calculoſis, colicis, cancroſis, ulceroſis, verbo chronicis & acutis, dum conſilium eſt inducias paciſci, ut aliis remediis doloris cauſa certius

tius ſuffecturo ægro tolli poſſit. Ex eadem eſt, quod ad conciliandum ſomnum in vigiliis nimiis laudetur, & feliciter adhibeatur, excepto caſu inflammationis topicæ in cerebro, de quibus omnibus legi debent *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN Commentaria.

Laudaverunt præterea opium illis multum in caſibus celebre, ubi ſpirituum ataxiæ, ut in hyſtericis, hypochondriacis, in quibus non alium domitorem paſſionum hyſtericarum ſuccum, ut & motuum ſpasmodicorum convulſivorum habuit SYDENHAM, egregias & fere certas ſemper ab illo expertus virtutes: hinc etiam illis in caſibus, ubi a quacunque cauſa irritatis nervis omnia ſusque deque moventur, evacuationibus auctis, in caſu aſſumpti veneni, etiam vomitorio eiecti, cholera, hyperemeſi, dyſenteriis, tenesmo, ſic in cholera unum, duo grana opii in unc. IV. aquæ menthæ ſoluta cochleatim exhibentur, eadem in lacte ſolvuntur, & pro enemate iniiciuntur incantamenti inſtar tenesmum ſupprimentia, &c.

Item poſt omnes purgantium, vomitoriorum motus, ſemper exhibuit opiatum SYDENHAM. Neque tamen ſolum in his caſibus, ſed etiam in contrariis, ubi ſpasmodice conſtrictis partibus inimica corpori evacuanda, retinentur, ut in ſimili caſu aſſumpti veneni, conſtricto valide ventriculi orificio, & nihil dimittente, ſuppreſſis a conſtricto utero menſtruis, lochiis, aliis ab hac cauſa aliarum partium convulſionibus, aut demum ubi a quacunque cauſa irritata fibra multum tremit, vibrat, etiam convellitur, ut in tuſſi acri, inani, ferina, aſthmate, aliis morbis ſuffocativis; etiam illis, qui a retropulſa materie varioloſa arthritica exorti magnum timorem iniiciunt, his enim in circumſtantiis egregium

cardiacum eſt materiem ab interioribus ad exteriora depellens.

Adhæc alvum ſupprimit, evacuationes omnes excepta illa, quæ per cutim eſt, ſupprimit, ſanguinis etiam nimiam compeſcit, hinc in hæmorrhoidum, menſium, lochiorum, aliis uteri excedentibus fluxibus, in hæmoptoe, vomitu, & mictu cruento multum prodeſt, malum ſæpius ſuſpendens, raro tollens; ſed & prius magnum eſt. Quod quoniam vel maxime verum de illis, quæ gravidas, parturientes habent, hæmorrhagiis uteri, rei dignitas hucusque haud bene perſpecta poſtulat, ut aliquantulum exactius tractetur.

In omni caſu hæmorrhagiarum gravidi uteri, opium dandum in initio, donec hæmorrhagiæ cauſa, quæ ſæpe medico abſtruſa, recte expiſcetur; quodſi intelligi non poſſit, cum ignoti non poſſit eſſe rationalis curatio, vis tamen opii perſpecta ſit, medicamento inſiſtendum: ſi vero intelligitur, ſoluta placenta etiam partum, ſive exacto naturæ incubatu maturum, ſive violato immaturum, inſtare, tunc, ni omnia ad extrema iam deducta ſint, medicamento locus amplius eſſe non poteſt, nec huic mulieris ſalus concredi; quod ſi ſit, in deſperationem deducitur, & rapitur, quod nimium notum. Ne tamen ego recta ratione id aliter obvenire poſſe intelligo! Pone arteriæ ſolutionem mechanico inſtrumento dilatatam, ſanguinem pleno gurgite effundere: an qui opium dat medicus, aut qui inſtrumentum aufert chirurgus, medetur? quodſi etiam hoc ablato moriatur vulneratus, quis in operationem mortem refundet? Chirurgia non magis advenientem iam ex profuſo nimio ſanguine mortem, quam medicina, propulſare poteſt. Quare ſerio moneo, ne aliquis opio in hæmorrhagia uteri, partui inſtanti, præſente, nimium fidens, neceſſariam

Chi-

Chirurgicam operationem negligat, & parturientem in mortem, cuius ipſe unica & ſola cauſa ſit, certo certius deducat, qualia adhuc recentia ſunt exempla.

Nec felicius eſt in ſuppuratoria Variolarum febre Opium in qua ſummopere damnoſum invictis argumentis probavit Naturæ in hoc morbo interpres TYSSOTUS *de variolis*.

Doſis opii a grano ſemis ad granum unum adulto, non aſſueto ſufficiens. Eſt tamen etiam ubi ſecundum circumſtantiarum rationem maiorem exhibere poſſis, vel priorem ſæpius repetere, ut in cholera, & aliis morbis, quibus bona totius corporis ſimul & ſemel funduntur; ita in cholera duo, tria grana opii in unciis tribus, quatuor, diluit, & cochleatim, donec turbæ ſedentur, exhibet L. B. van SWIETEN. Mirabile eſt, opio aſſuetos aliquantulum, a conſueta doſi nullum levamen experiri, ſed continuo augendam eſſe: mulierem nephriticam novit *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN, quæ omni bihorio quatuor granis conſtantem mixturam, & tales intra nycthemerum quatuor, ebiberet; tum melancholicis, ne ſibi violentas manus inferrent, quindecim grana pro doſi data; drachmas duas quandoque de die, & id per octodecim menſes, aſſumi absque noxa vidiſſe ſe, CLAUDERUS teſtatur *Miſcell. Natur. Curios.* Orientales drachmam ſæpe absque noxa ſumere KÆMPFERUS, PROSPER ALPINUS, unam vel duas drachmas familiares Turcis, & Perſis BELLONUS, quatuor uncias in experimento aſſumptas Bengalæ, ſola ablata mentis ratione, poſt ſomnum redeunte GARCIN, teſtantur.

Opii tamen liguritores triſtes, ſomnolentos, elingues, ſtupidos fieri, invenit KÆMPFERUS; tum non

aſſuetos perimi maiori doſi, exemplo triſti iuvenis copthæ, Acta Pariſina; etiam muſculorum deglutitionis reſolutorum cum morte, Acta Edimburgenſia reliquere, ut merito antidotum quæſitum ſit. Proponuntur generalia, vomitoria, clysmata acria, interne acida, diaphoretica, externe ſinapismi. Virgo incautior decem grana opii devorans, in altum ſomnum quadraginta octo horarum incidens, vomitu mechanico excitato ſervata eſt, ex HALLERO SPROEGEL. Ex quibus omnibus patet, opium venenorum generale antidotum eſſe, quatenus omnes motus, turbas omnes, ne in nervum erumpant, ſopit, ipſum tamen etiam maiori quantitate ſumptum verum venenum eſſe.

PRÆPARATA. *Extractum* opii crudo purius, non efficacius ſed tutius. Habet *Eſſentia* vim grani unius in guttis decem. Compoſita vero ſunt plurima: hæc opium miris modis vexatum, corruptum, continentia, an ideo meliora? alia adeo exigua quantitate opium recipientia, ut ratione huius vix agant; mithridatii, vel diaſcordii drachma, pro doſi data, ne granum opii continet; quod fere theriaca habet. Qui opium purum, extractum, eſſentiam, ſeu laudanum liquidum SYDENHAMI, adhæc ſyrupum diacodii, vim grani unius opii in uncia continentem, habet, aliis carere ob vim opii facile poteſt.

Minime tamen reticendum eſt *Diacodii* ſyrupum ſæpe minus Medicorum intentioni reſpondere inefficacem hic loci deprehendi, etiam a TYSSOTO in Helvetia demulcentem potius quam narcoticum viſum, qualia etiam in Anglia SYDENHAMUS iam monuerat, hinc nec in eo abſolutam rectamque opii vim quærendam.

SAPO

Landesbibliothek Oldenburg

SAPO VENETUS. Claſſis Artefactorum. *German.* Venetianiſche Seiffe. *Gallis* Savon de Veniſe. *Anglis* Venetian Saop.

SAPO quid ſit, paucis exacte ita, ut una omnes ſapones complectatur definitio, pronunciatum, quod ex triplici naturæ regno ſapones naturales, qui arte factorum omnes dotes non habeant, demonſtrentur, quod naturales ſapones multum inter ſe, ut & arte facti, diſtinguantur, utrique quoad quantitatem principiorum, etiam eorundem naturam varient; quare quodcunque corpus aqua ſolubile abſtergit, & pingue aquæ miſcibile reddit, dici ſapo poſſet, absque eo, ut principiorum hæc conſtituentium mentio fiat; cum enim in triplici naturæ regno diverſum recipiatur pingue, diverſus etiam ſal ingrediatur, tum & aquæ diverſa quantitas, & diverſa præcedentium proportio ſit, hac una definitione comprehendi non poſſe, perſpicuum.

Diviſionem ſaponum quod ſpectat, hos primo duplices eſſe tenendum, naturales & artefactos; naturales iterum ex triplici naturæ regno triplices, vegetabiles, animales, minerales; adhæc artificiales conſiſtentia diverſos, diſpeſci in ſolidos mediæ conſiſtentiæ, & fluidos; eosdem ingredientibus diſcrepantes in fixos, ſemivolatiles, volatiles dividi; ita ut fixi ex oleo preſſo cum ſale alcalino acri fixo in uſum medicatum plerumque fiant; ſemivolatiles vel ex oleo preſſo, & ſale alcalino volatili, vel ex ſale alcalino fixo, & oleo æthereo; volatiles vero ex oleo æthereo, & ſale alcalino volatili combinentur. In mechanicos vero uſus loco olei etiam ſevum, pinguedo balænarum, adhibentur, vix vero in perfectum ſaponem coguntur; at neque omnia olea etiam id patiuntur: oleum enim lini cum

ſaturato lixivio alcalino nunquam cogitur, GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1741. An quia frigore non denſatur hocce oleum? ut proponit IDEM.

Neque vero ultimo id ignorari debet ſalem mineralem æque ac vegetabilem ſaponem conſtituere poſſe, ſic dum ſalem ſodæ, dum Boracem oleo unguinoſo nuberet *Cl.* BRANDT *Schwed. Abhandl.* 1756. ſapones obtinuit.

Sapo Venetus autem eſt olei olivarum preſſi cum ſale alcalino, ex cineribus plantarum cum calce viva parato, adeo perfecta unio, ut aquæ mixtus absque ſeparatione partium diluatur, aeri expoſitus non madeſcat; poſtrema hæc duo etiam eiusdem criteria ſunt. Ex quibus ſalia alcalina acria, oleo nupta, in aqua ſoluta, iam tuto applicari corpori poſſe, quæ non ſine eroſione ante applicari potuiſſent ſola, oleum iterum horum ope aquæ miſcibile reddi, intelligimus.

Eſt vero & id tenendum, oleum ſali ita mixtum, aliis oleis non commiſceri amplius, nec flagrare igni admotum, licet æquabiliſſime in ſpiritu vini rectificato, minus æquabiliter in ſpiritu vini ſimplici, aqua pura, impura, vino, ſolvatur, quibus ultimis menſtruis ſub floccorum forma ſecedit, quod acidum maiorem affinitatem cum ſale alcalino habeat, quam cum oleo. In 180. libris ſaponis 50. libras ſalis alcalini, 115. libras olei olivarum, 15. libras aquæ contineri exiſtimat GEOFFROY citante HALES. Saponis alicantini unciæ duæ cum totidem drachmis, aceto deſtillato aliquantulum digeſtæ, 12. drachmas cum 54 granis olei olivarum limpidiſſimi largiuntur, GEOFFROY *Acad. des Scien.* 1741. cum acido vitriolico maiorem adhuc quantitatem in *Comment.* D. HARTLEY *miſſo*, IDEM.

VIRES

VIRES abſtergentes primariæ; in caſu aſſumpti veneni ſemper utilis aqua ſapone veneto medicata; aqua enim licet omnia diluat, enervet, etiam ſalia ſolvat, olea non attingit, quod ſapo facit: adhæc aqua ſola citius præterlabitur, nec adeo detergit, ut ſapone dives, quæ tum omnibus viis ſubminiſtranda. Ob easdem vires, tum incidentes, laudatur in glutinoſo ſpontaneo primarum viarum bili nuptus ſapo; in viſcerum abdominalium infarctu, obſtructione, cum gummi ferulaceis: in ſaburra atrabiliaria acida, aliis morbis acido ortis, ut ſcorbuto, arthritide, rheumatismo, podagra, maxime vero in coagulato in primis viis lacte, infantum tumido abdomine, ob priores, & acido contrarias egregius, poſteriori in caſu ſemper deprædicatus *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Forma pilularis commoda, ut grana ſex, novem, plus minusve pro morbi indole ſumi poſſint omni trihorio abſente febre; periculoſum enim eius uſum non eſſe iam dudum experimentis Anglorum, & *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN notum; infantibus granorum duodecim, viginti pondere, vel aqua ſimpliciter ſolutus, vel vitello ovi ſubactus, & dilutus aqua ſtillatitia, addito ſyrupo, prout e re videtur, vel cichorei, vel diacodii, cum lapidibus cancrorum exhibetur feliciter.

In calculo potens remedium magna doſi datum unciæ ſemis, unius, duarum de die pondere CAR. ALSTON *diſſertation ſur la chaux vive.* Convenientius eſt tamen unciam ſemis ſolum de die dare, maior enim alvum ſollicitat, IDEM. Minime tamen reticendum, pleroſque medicamento Dæ. STEPHENS, ut & lixiviis ſaponaceis uſos, in phthiſim, ſcorbutum, hæmorrhagias, dyſenterias pertinaciſſimas incidiſſe, HUXHAM *eſſai ſur les fievres.* Utique ſerum ſangui-



Landesbibliothek Oldenburg

nis & urina horum uſu alcalina fiunt, per experimenta *Cl.* Virorum HARTLEY, & MORAND. Ultimo etiam id tenendum, obeſitatis remedium eſſe per aliquot tempus ſumptum drachmæ unius, duarum pondere, ſaponem, MALCOLM FLEMYNG *a diſcourſe on the nature, cauſes, and cures of corpulency, London.*

Externus non minus celebris ſaponis uſus in fomentis ad loca arthritide, rheumatismo, podagra vexata, meraca ſolutione facta in lacte, ad loca inflammata, mammas lacte coagulato induratas, nihil habetur efficacius: In dilutiore decocto vegetabilis appropriati, ſoluto ſapone, pro iniectione ulcerum ſinuoſorum, fiſtularum mammarum a coagulato lacte, nihil pulchrius. Tum ſpiritu lumbricorum, vel alio ſimili, in unguenti ſpeciem ſolutus ſapo, eſt in rheumaticis doloribus, aliis profundis, articulorum tumoribus, etiam extravaſato ſanguine, proficuus; ultimo etiam in formam ſuppoſitorii pro infantibus cogi poteſt.

Cæterum inter generalia illa antidota, contra ea mala, quæ morſu illata ſunt ab animalibus venenatis, etiam plurimum laudatur ſuctio, punctio, ſcarificatio, Piedra de la ſerpente lapis, quem in capite ſerpentum Indiæ orientalis reperiri nonnulli tradunt, artefactum vero ex cornu cervi leniter uſto alii credunt: is vero vulneri applicatus, bibulus quaſi, vulneri adhæret, ſicque mirabiles effectus ſeſe obſervaſſe teſtatur HULTSTEDT. *Acta Acad. Suec.* Vol. XV.

BEZOARDICI LAPIDES utriusque Indiæ etiam a multis in cenſum verorum antidotorum recenſentur; at hi ſive in officinis genuini, quod rariſſimum, ſive factitii, quod frequenter obvenit, ad hunc ſco-

ſcopum, ut ſuſceptum miasma per diaphoreſim expellant, parum apti, utilesque, conſenſu NEUMANNI, SLARE, ALLEYNE, CARTHEUSERI, & aliorum pæne omnium Medicorum deprehenſi ſunt. Equidem illi Bezoardici utriusque Indiæ lapides pretioſi, qui in officinis ſunt, de his enim hic loci potiſſimum agitur, quoniam hos non alios in Regum aut Magnatum Ciminiarchio reconditos, præſcribunt Medici, illi inquam plerumque inſulſi, inodori, terrei deprehenduntur, levi hinc inde eaque ſatis rara amaritie præditi, ut bonum ſuo tempore SCHROEDERUM ratione doſeos granorum trium ſcrupuloſum merito rideat ALLEYNE, qui a drachma ſemis etiam una horum, nullam efficaciam vidit: *it has the credit amongst the ignorant of doing what it never had any ſhare in* l. c. & CARTHEUSERUS illos qui exigua doſi efficaces putant, miratus, „exclamat: ſed quam inanis fiducia, quam cæca opinio! „ubi quæſo famoſæ hæ virtutes in lapide Bezoardico tam „genuino quam factitio latent? quis unquam duo tria „quatuor quinque imo plura grana lapidis absque alio-„rum miſcela exhibiti in febribus malignis ac morbis „ſimilibus, nondum ſcilicet imminente excretione cri-„tica & ſpontanea abſente ſudatiuncula, imo apud ſanos „neglecto conſueto regimine, cui tanquam cauſæ aptiſſi-„mæ ſudoris proruptio crebro tribuenda eſt, ſudorem „provocaſſe vidit? Næniæ profecto ſunt, ac Siculæ „gerræ quæ ratione deſtituuntur, nec ulla unquam ex-„perientia vera probari poterunt. *Mat. Med. T. I. p. 194. 195.* Quarum rerum omnium teſtimonium iuxta ac experientia illos omnino pacatiores eſſe iubet, qui ex pauca innocui pulveris præſcriptione cæcum trahentes timorem & ægri ſalutem inflammatam, & totam artem peſſumdatam eſſe credunt boni; quod etiamſi in aliquo experimentulo viſum ſit, infuſum & nauſeoſum



Landesbibliothek Oldenburg

& amarum fuiſſe, ſciri prius omnino debet antequam rectum iudicium feratur, an non antecedenter & continuo ex bile mota os amarum fuerit tum alia etiam amara & nauſeoſa declaraturum, quæ tamen non ſunt; ita certum eſt non aliam in Medicina rem maiori cautinio obnoxiam eſſe quam quidem experimenta.

Atque hæc Generalia Antidota ſunt, ſpecialia vero etiam cognoſcenda ex qualitate ſingulari ipſorum venenorum, quare de Venenis ex duplici capite agendum, primo quidem ut & innoteſcant, quatenus deleteria eſſe poſſint, tum ut noſcantur quatenus medicata obſervata ſint; ſtricte enim dicendo venenum nullum abſolutum & per ſe datur, omne reſpectivum eſt, & uti iam multa in remediorum cenſum deducta ſunt, ita ſpes eſt adhuc plura ſucceſſu temporis deduci poſſe: reliqui tamen hæc omnia in Claſſe ſuſpectorum, cum & infelices æque exſtent ac felices eventus & ſufficit nonnulla experimentis ſuſpecta declarata fuiſſe, ut cum his ſcrupuloſius mercandum ſit. Promittat ex auro potabili longævitatem Chemicus, ego continuo aurum in acido foſſili ſolutum horrendum venenum declaro.

CLAS-

## CLASSIS PRIMA
# VENENORUM ACRIUM.

## *EX MINERALIBUS.*

COBALTUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Semimetallorum. Cadmia Vitri Cærulei W, *German.* Kobolt. *Gallis* Cadmie. *Anglis* Braſs-Oar.

COBALTUM a Cobalis dæmonibus illis, ſeu metallicis virunculis forte derivatum, græcis cadmia, vaga omnino, & ad alías res ſignificandas etiam translata voce appellatur: ſemimetallum eſt pigmentarium, vitra & cryſtallos in cæruleum colorem commutans. Semimetallum vero eſſe in *Actis Suecicis* ex his rationibus docuit omnium primus *Celeber.* BRANDT:

1. Quod externa facie metallum referat.
2. Quod pondus habeat metallicum.
3. Quod igne fundatur, fuſum, dum refrigeratur, ſuperficiem convexam acquirat, quod diſtinctivum ſubſtantiarum metallicarum criterium.
4. Quod in aqua forti ſolvatur, & menſtruo colorem ex viridi flaveſcentem communicet; quod ſales alcalini hanc ſolutionem præcipitent, & ni-

grum

grum illi colorem concilient, dum alcali volatile illam læte rubicundam reddit.

Cæterum in omnibus acidis mineralibus ſolubile cobaltum eſt, CADET. *Memoires de Phyſ. & Mathematiq.* T. III. 1760. Solutum, atramentum ſympatheticum largitur, IDEM. Arſenico impraegnatum eſt, quod ab eo abſtrahi poteſt, & forma liquidi fumantis exhiberi, IDEM.

Multis in Europæ locis ſemimetalli huius mineræ adinveniuntur; fertiles his ſunt Bohemia, Misnia, Anglia & regiones aliæ, atque hæ vaporibus arſenicalibus mineræ ſæpe deleteriæ ſunt, & ipſum cobaltum vi erodente tanta pollet, ut ſæpe nudas foſſorum manus, & pedes exulceret, imo & chartam, qua incluſum fuit, eroſiſſe viſum, ut vel inde perſpicuum omnium animantium generi venenum præſentaneum eſſe. Puellæ porrigine laboranti cobalti pulverem inſperſit mater, at miſera poſt paucas horas rapta eſt, ex obſervatione HALLERI. Alios deleterios caſus cobalti *Acad. N. C.* Vol. V. recenſet.

Cæterum cobaltorum plurimæ eæque diſtinctiſſimæ ſpecies recenſentur mineralogis, ea vero, quæ ad ſmaltum conficiendum adhibetur, uſitatiſſima, eſt minera cobalti cinerea, granulis minoribus, ut & maioribus, fragilis, WALLERII, quæ etiamſi cum minera arſenicali confundatur, ab ea tamen aliis notis facile diſtinguitur. Hæc iam ſi uſtulatur, arſenico, quo impraegnata eſt, avolante, exhibet terram cæruleum colorem largientem, verum cobaltum, quod zapheram, & ſmaltum conſtituat.

ZA-

ZAPHERA a ſapphirino colore dicta, nihil aliud eſt, quam uſtulatum & lævigatum cobaltum, idque purum, aut etiam dupla ſilicum pulveratorum quantitate commixtum, ope aquæ in lapidem friabilem concretum: hoc utuntur porcellaneis, & aliis vaſis pingendis Pictores.

SMALTA ſeu encauſtum, verum cobalti productum, vitrum eſt, cobalto calcinato, cum dupla, vel tripla ſilicum præparatorum, ſimili etiam cinerum clavellatorum quantitate, fuſum; larga frittæ copia denuo remixtum, fuſum; tum lævigatum in tenuiſſimum pollen, doliis incluſum, pictoribus, lotricibus, figulis inſerviens. Habetur adhuc ex cobalto Regulus.

Cæterum non omne cobaltum æque pulchrum encauſtum cæruleum largitur: in calcinatione arcanum eſt. Cobalti vero mineræ ita facile in hanc rem tentantur: funditur in crucibulo cobalti examinandi pars una, adduntur boracis duæ, aut tres; quæ prout vel magis, vel minus eleganter colorantur; criteria de minera adhibita ſuppeditant.

USUS MEDICUS vix ullus. Smalta in ceratum defenſivum cæruleum recipitur, non ſatis intellecto, nec adeo rationali ſcopo; eſt enim comminutum vitrum.

ARSENICUM. *Mineralogiae* Arſenicum Nativum ſimplex. Claſſis Naturalis Salium. *Germ.* Arſenic. *Gallis* Arſenic. *Anglis* Arſenic.

ARSENICUM ſubſtantia eſt *ſalina, fragilis, igne non inflammabilis, ſed fuſilis, cum rapacitate volatilis,* *fumo*

*fumo albo, odore terribili alliato manifeſta.* Notas eius characteriſticas rapax volatilitas, & odor alliaceus conſtituunt, non albus fumus, ſiquidem & zincum, & antimonium, & mercurius, eodem modo fumant.

Quod reliquas huius veneni proprietates ſpectat, ſcire iuvat, in omnibus liquidis ſolvi, aquoſis, acetoſis, ſpirituoſis, oleoſis, lixivioſis, diverſa tamen liquidorum proportione, digeſtione, calore; in quindecupla aquæ quantitate tota die ebulliente ſolvitur, & evaporatione in cryſtallos flavas, pellucidas, irregularis figuræ, concreſcit, in aere in colorem farinoſum album commutandas.

Omnibus etiam metallis ſociatur, varias his mutationes inducens, auro colorem cinereum, argento ex cinereo obſcuriorem conciliat, cuprum dealbat, ſed ſimul malleabilitatem illi tollit, ſtanno fuſibilitatem demit, plumbum in vitrum, ferrum in nigram maſſam commutat, BRANDT, *Act. Vps.* In depuratione metallorum nobilium arſenicum formidatur; quæſitum diu remedium contra hoſtem eſt, & in ferro inventum in Galliis a D. GROSS.

Arſenici nativi plurimæ ſpecies ſunt, quæ omnes nota characteriſtica cognoſcuntur: præcipuas dicam.

RISIGALLUM & SANDARACHA *vel* REALGAR *Offic.* Arſenicum nativum purum, ſulphure mixtum, rubrum vel flavum, *Mineralogiae* WAL. *Germ.* Rauſchgelb. *Gallis* Orpin Rouge. *Anglis* Native Gellow, or Red Arſenic.

Eſt arſenicum nativum, licet & factitium tale ſit: rubrum *Sandaracham*, flavum *Riſigallum* proprie vocan-

candum eſſe, aliqui contendunt, quod parum intereſt, modo notetur, arſenicum nativum rubrum, ſandaracha dictum, eo venenatum magis eſſe, quo rubicundius ſit, venenatiſſimum ſemper flavum ſeu riſigallum: pellucidum in Tranſylvania adinvenitur.

Mirum ſandaracham iam veteribus notam, tam externo, quam interno uſu præſcriptam. DIOSCORIDES poſteaquam ad externa multa laudaſſet, dicit: datur ex mulſo purulenta tuſſientibus, ſuffitur quoque adverſus veterem tuſſim, rapto per fiſtulam nidore, vocem expedit cum melle delincta, ſuſpiroſis cum reſina in catapotio optime datur. HIPPOCRATES in uteri ſuffocatione cum tuſſi, ſandarachæ obuli pondus, id eſt grana duodecim, ſulphuris ignem non experti tantundem, & amygdalas tres vel quatuor repurgatas, commixta, & vino odorato exhibenda præcipit. *Realgar* utilem etiam proponit HELMONTIUS præparationem, prudenter tamen abſtinetur ab omnibus.

AURIPIGMENTUM *Offic.* Arſenicum Sulphure, & lapide ſpatoſo, & micaceo mineraliſatum, minera flaveſcente *Mineralogiae* W. *Germ.* Operment. *Gallis* Orpin. *Anglis* Orpiment.

AURIPIGMENTUM a colore aureo, quem ab eo mutuantur pictores, ita dictum, eſt proprie arſenicum veterum, quo calcinato parabant adeo illis notam ſandaracham. Quod proprietates eius ſpectat: ægre accenditur, accenſum flammam dat ex alba cæruleam, quæ abit in fumum craſſum, album, allium fœtentem. Hic cultrum ſuperpoſitum, pulchro ſpectaculo, albo-

alboluteo, ſubrubro, colore obducit. Poſt calcinationem quæ ſupereſt materies, arenoſa viridis conſpicitur.

Nativum inſipidum, interne etiam magna doſi animalibus datum innoxium, CELSO ad repurganda ulcera adhiberi; fauces eo repurgari, vocem ſonoram reddi, tuſſim compeſci PLINIO relatum, dum ab eius uſu DIOSCORIDES abſtinuit, & huic vim erodentem, urentem, reprimentem, depilatoriam adſcripſit; ſed licet ſandaracham, non auripigmentum, DIOSCORIDEM adhibuiſſe clarum ſit, ancipitem medicinam alii damnant. Fœminam pauca grana ad debellandam febrim aſſumentem, per triginta annos convulſionibus tentatam, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN.

Ex auripigmento fit atramentum ſympatheticum, ſeu liquor vini probatorius, admixta ſaturnina, quibus in mortalium perniciem dulcificari ſolet, prodens; is vero auripigmenti unciis duabus, calcis vivæ uncia una ſemis, pulveriſatis, & vix dimidio quadrante horæ in aliquot unciis aquæ coctis, conſtituitur WALLERIO, uncia una auripigmenti, unciis duabus calcis, PEYRE *Aſſemblé publique de la Societé Royale des Sciences de Montpellier 1749.* Cæterum etiam vinum plumbo adulteratum ſpiritu ſalis detegi poteſt. Eſt etiam idem atramentum ſympatheticum aceto lithargyrii detegendum.

Cum auripigmento & calce viva medicamentum pilos corporis auferens concinnatur, varia doſi plus, minusve tutum: tutiſſimum fit, ſi unciæ duodecim calcis vivæ, uncia una auripigmenti, unciæ octo amyli ſumantur, adiecta aqua paſta fiat applicanda, donec

ſic,

ſiccefcat relinquenda, tum vero illico aqua calida abluatur.

ARSENICUM *Offic.* Claſſis Præparatorum Semimetallicorum Cobalti.

ARSENICUM in officinis triplex, nullum niſi arte factum, & plerumque ex cobalto ſublimatione elicitum, licet tamen & ex farina arſenicali, & aliis arſenici mineris parari poſſit, habetur. Modum, ut in Hungaria paratur, in *Transact. Philoſoph.* Nro. 293. D. KRIEG dedit.

*Album* eſt cobalti fuligo, fortiſſimo igne in maſſam ponderoſam duram, vitream liquata, coloris externe calcis, interne vero vitri, ſaporis acris, & exedentis. Maximam vim in nitrum habet, ut quidem ex eo tanta facilitate acidum eiiciat, quanta id vitriolicum expellit, MACQUER *Acad. des Sciences 1746.* Acidum ita expulſum aquam fortem conſtituit cærulei coloris IDEM; caput mortuum vero elutriatum, evaporatum, ſalem, acido arſenici baſi nitri iuncto, neutrum, cryſtallis priſmaticis quadrangulis, rectangulis regularibus conſiſtentem, ab arſenico fixato diverſum, IDEM, etiam ab ipſo hepate arſenicali, facto nitri fixi & arſenici ſaturato lixivio, diſcrepantem, IDEM.

Quanquam vero adeo vehementer ab arſenico impetatur nitrum, in ſalem marinum arſenicum nihil poteſt *Cl.* POTT, quod huic acidum ſalis adverſum, MACQUER *Acad. des Sciences 1748.* Equidem ablato acido viduæ baſi arſenicum nubit, & cum ea ſalem medium conſtituit priori ſimilem, IDEM *ibidem*; ſed neque cum ſale ammoniaco congreditur arſenicum, dum ſalem ammoniacum nitroſum cito petit, IDEM.



Landesbibliothek Oldenburg

*Citrinum* una parte ſulphuris ad decem cobalti addita, mitificatum, mitius, haud ſecurius, & ad eandem cobalti duabus etiam ſulphuris additis partibus *rubrum*, non ideo tutius. Omne merito damnatur, album tamen ad veneficia frequentiſſimum, & crudeliſſimum, omni animanti venenum, quidquid hucusque laboraverint chemici, & fecerint audaces in corium humanum agyrtæ. Loquuntur clades aquæ *della Toffanina*, cuius antidotum inventum ſuccus citri, limoniorum. TACHENIUS ad extrema, inſpirata arſenicali aura, redactus, vix lacte, oleo, vulnerariis decoctis & eſu cymarum braſſicæ, & ſucco aurantiorum ſervatus eſt; & nuper omni bihorio decem grana bezoardici mineralis exhibendo, cum aqua hordei lacte diluta, & oleo olivarum, miſerum ſervavit de HENNE. *Journal de Medecine, Chirurgie.* &c. T. IX. X. &c. Milites ſcabioſi decocto arſenici ſeſe abluentes, genitalium ſphacelo cum intolerabilibus doloribus, febre, vigiliis, ſiti obortis peſſime luêre, DEGNERUS. Arſenicalis pulvis cancro mammæ adhibitus, mulierem intra quinque dies crudeliſſime rapuit, FERNELIUS. De amuletis non minus funeſtæ hiſtoriæ ſunt; ut interno, & externo uſu lethale venenum merito, donec & ex hoc medicina inventa ſit, habeatur.

Remedio ſunt: lac, butyrum, ſuccus citri, limoniorum, decoctum radicis ſambuci cum lacte factum, addito butyro euphoriſton habent, *Acta Haffnienſia.* An alcalina certius domant? Poſſe ſalutarem reddi internum arſenici ſale alcalino domiti uſum, *Acad. Mogunt.* T. I. promittit. Si arſenici pars una, aquæ partes centum ſexaginta octo, ſalis tartari partes duodecim, miſceantur, continua ebullitione, ad dimidiæ aquæ conſumptionem coquantur, refrigeratis, evaporata

rata pars aquæ addatur cum momento ſpiritus vini; tum exhiberi medicamentum poſſe ad guttas triginta adultis, in febribus, nec noxam obſervari, EADEM aſſerit. Contraria ſunt STOERCKII noſtri experimenta.

LAPIS ARMENUS, & LAPIS LAZULI *Offic. Mineralogiae.* Claſſis Naturalis Lapidum, Ordo Vitreſcibilium. *Germ.* Armeniſcher Stein und Laſurſtein. *Anglis* Lapis Armenus & Lazuli. *Gallis* Pierre Armenienne & Pierre d'Azur.

Non niſi maturitate hi differunt lapides, cæterum ſimiles. Armenus friabilis magis, durior lapis lazuli florum cyani cærulei coloris, aureis argenteisque punctis, & venis exornatus eſt. Ex Armeno cæruleum montanum, ex altero ultramarinum præparatur, in uſus mechanicos. In pulcherrimis de hoc lapide experimentis ne veſtigium cupri, ſed pyritis martialis, invenit *Cl.* MARGGRAF. *Script. Chemic. Berol.* 1761.

VIS MEDICA, ALEXANDRO TRALLIANO ad imaginationes melancholicas, veratro albo utilior, & ſecurior, AETIO etiam ſacro morbo obnoxiis, & furioſis laudata, noſtri ævi experimentis non confirmata eſt: an ob cuprum merito ſuſpecta?

# EX VEGETABILIBUS.

ACONITUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Gifftkraut. *Gallis* Aconit. *Italis* Aconito.

Omnes huius generis ſpecies ſuſpectæ ſunt, nec ipſum aconitum *ſalutiferum* B. periculo vacat; non obſervavit tamen in ſeſe experiment. III. IV. SPROEGEL, *circa varia venena in variis animalibus*, dum anthoram ſemel ad drachmas duas, ſemel ad quatuor daret. Anthoram aconiti antidotum hi volunt, alii negant. Inter cæteras ſpecies & aconitum *Lycoctonum*, quod *foliis peltatis palmatis*, & aconitum *Napellus*, quod *foliorum laciniis linearibus, ſuperne latioribus, linea exaratis*, cognoſcitur, præcipue criminantur. Venenis iam DIOSCORIDI napellus accenſitus, WEPFERO, MEAD, in brutis, MATHIOLO in hominibus infamis viſus eſt; non deſunt tamen etiam mitioris effectus exempla, quale in experimento I. SPROEGEL, qualia etiam obſervavit LINNÆUS, ut inde merito quærat *Clariſſ.* Vir, an aconiti vis in ſeptentrione frigore dometur? an forte ſola deleteria vis in radice, non foliis, præcipue iunioribus, urticæ exemplo? Sed *Cl.* SPROEGEL experimentum primum in radice non ſemper eſſe evincit. Tentamina de his, diverſis in regionibus, in diverſa ætate plantarum reiteranda, dum interea merito omnes hæ ſpecies ſuſpectæ habentur.

Nuper

Nuper de hoc ut etiam de Stramoneo & Hyoſciamo nova experimenta protulit A. STOERCK, qui de his videndus.

ANACARDIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Elephantenlaus. *Gallis* Anacarde. *Anglis* Malacca Bean.

Fructus compreſſus, aviculæ cordis figura, ex occidente allatus, recens liquorem unctuoſum nigricantem cauſticum, præfocantem; exſiccatus nullum continet. Alter priori ſimilis ex oriente allatus, putamen acerrimum, nucleo dulci nutriente, farctum habet. Uterque ſuſpectus eſt. Ad dementiam ducere RHASES reliquit, quod & alii confirmarunt, ut confectio anacardina merito culpari poſſit, & confectio ſtultorum nonnullis dicta ſit.

ANEMONE *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Germ.* Anemon Röslein. *Gallis* Anemone. *Anglis* Winde-flower.

Inter omnes, Anemone *Pulſatilla* botanicis dicta, quæ *foliis decompoſitis*, *pinnatis*, *flore nutante*, *limbo recto*, cognoſcitur, acerrima, quod applicata corpori veſicas excitet, etiam aqua ſtillatitia vomitum moveat, TOURNEFORT. Mitiſſima eſt Anemone *Hepatica*, quæ *foliis trilobis integerrimis* inſtructa vi adſtringente utilis habetur LINNÆO.

APIUM RISUS *Offic.* RANUNCULUS SCELERATUS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Italis* Apio Riſo.

Tota etiam Ranunculorum familia admodum ſuſpecta plurimorum experimentis habetur; & quidem Apium



Landesbibliothek Oldenburg

Riſus *Officinarum*, ſeu ranunculum *foliis inferioribus palmatis*, *ſummis digitatis*, *fructibus oblongis*, iam DIOSCORIDES multum damnavit, nec deeſt in *Ephem.* N. C. Decad. III. Anno II. exemplum criminationem DIOSCORIDIS abunde confirmans. Tum ranunculus *Flammula*, qui *foliis ovato - lanceolatis*, *petiolatis*, *caule declinato*, cognoſcitur, acerrimus, veſicans, mendicis, ut hominum miſericordiam in quæſtum vertant, adhibitus. Ranunculus *Acris*, qui *caule erecto multifloro*, *folio pentagono*, *lobis ſeſſilibus* cognoſcitur, etiam in veſicatorium vocatus fuit; hoc ſanatus arthriticus, quem fruſtra curaſſent FABRICIUS, & CAPIVACCIUS teſte HALLERO. Eſt etiam ranunculus *Alpeſtris caule aphyllo*, *ſubunifloro*, *foliis ſubrotundis*, *ſemitrifidis*, acerrimus; arthritidem veſicatorio ex hoc ranunculo facto, curatam habet CONSTANT. *Med. Helv.* & ranunculo nemoroſo veſicante brachium reſpondens dolenti denti, odontalgiam ſæpius curatam WOLFF. *Ephem.* N. C. Decad. II. Anno I. Ranunculus *Thora foliis radicalibus cordato ſubrotundis*, *caulinis ſeſſilibus*, *lanceolatis*, *integerrimis*, omnium venenatiſſimus.

Aſſumpto Apio Riſus curationem præſcribit DIOSCORIDES, vomitum, aquam mulſam, & lac liberalius epota, tum irrigationem, & perunctionem cum pinguibus.

APOCYNUM *Offic. Botanicorum* CYNANCHUM. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Hundstodt. *Italis* Apocino. *Anglis* Dogsbane.

Quæ canes, lupos, vulpes enecat in cibo data planta, Botanicorum Cynanchum *erectum*, *caule erecto*, *diva-*

*divaricato*, *foliis cordatis*, *glabris* habetur. An id etiam de aliis vel cynanchi, vel apocyni ſpeciebus verum? experimenta deſunt. Apocynum medicamentum ſurſum deorſum movens Ipecacuanhæ ſimile HARRIS habet.

ARNICA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Mutterwurtz Fall-Kraut.

ARNICA *foliis ovatis*, *integris*, *coniugatis*, vomitus, cardialgiam cum periculo movet BRESLAVIENSES, etiam valentioribus GMELIN *Fl. Sib.* Saturatius infuſum dolores acerbiſſimos facit, oleoſis vix domandos, ut in ſe ipſo expertus COHAUSEN, pugillo tamen uno, etiam duobus infuſa planta, pota potenter extravaſata reſolvit OMNIUM experimentis, ut ante aliquot tempus multum inclaruerit, & adhuc in febribus cum hæmoptoe, etiam exanthematibus enixe recommendet BRUCKNER *Select. Med. Francof.* T. I. & in paralyſi multiplici experimento in Noſocomio ſuo *Noſter* COLLIN.

ARUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Aron. *Anglis* Wake Robbin. *Gallis* Pied de veau.

ARUM *foliis ſagittatis*, *cucullo recto* HALL. officinale, recens igneum exurens, maiori doſi noxium, etiam lethale. Ab infuſo foliorum vomitum cruentum STÆHELINUS: a maiori recentis radicis doſi cardialgia rapi iuvenem *Cl.* STOERK. Exſiccatum mitius vix periculoſum, quandoque effœtum. Recens coctione in aqua multum, in aceto in integrum miteſcit, ut etiam edule ſit, quod iam veteribus exploratum. Radicem ari

ari eſculentam eſſe, imo folia aceto decocta mandi poſſe, THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES reliquere. An inde nutriti milites Valeriani apud IULIUM CÆSAREM?

VIS MEDICA ad morbos a glutinoſo ſpontaneo princeps, ventriculo, pulmoni, mucoſis dicata, reſolvens incidens, antifebrilis, etiam partibus paralyticis igneo ſtimulo tam interno quam externo uſu utilis. Languidum paralyticum ventriculum reſtituit ſæpe, aſthmata deſperata ſuſtulit, externe ulcera ſordida mundavit, in epithemate etiam arthritidi profuit. Medicamenti recentis in forma pulveris cum aliis præſcripti doſis, granorum quinque decem, exſiccati ſcrupuli drachmæ ſemis. Convenientiſſima recentis eſt forma pilularis, extracto indicato & pulvere ari concinnata. Unciæ ſemis pondere vinis medicatis additur. Fœcula inutilis eſt officinis curæ. Pulvis Ari compoſitus in officinis egregius eſt.

Aro veneno acetum medicina eſt.

AZEDERACH *Offic.* MELIA *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam.

MELIA *foliis decompoſitis* MATTHIOLO multum criminatur, quod venenatiſſima ſtirps ſit, cuius foliis interficiantur animalia, fructuum eſu moriantur canes, quos nec aves attingant. Flores aperientes, obſtructionibus utiles in infuſo, aut decocto potos, lego in *Encyclopedie*, an ſatis tuto experimento? fructum pediculos interficere etiam relatum, *ibidem.*

CATA-

Landesbibliothek Oldenburg

CATAPUTIA Minor *Offic. Botanicorum.* EUPHORBIA. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Springkörner. *Gallis* Eſpurge. *Anglis* Garden Spurge.

Quæ hæc ſemina cataputiæ minoris officinis dicta largitur planta, Euphorbia eſt *inermis*, *foliis oppoſitis lanceolatis*, *umbella univerſali quadrifida*, *tetraphylla*, *reliquis dichotomis*. Succo lacteo acerrimo planta violentiſſime ſurſum deorſumque movet, non ſine periculo corroſionis, & gangrænæ. Eandem vim ſemina habent, a mulo-medicis ſæpe exhibita hydropicis.

VIS draſtica, cauſtica. An hæc ita laudatur a *Cl.* NORFOLD? *Recueil periodique d'obſervations &c.* in cancro mammarum irritis aliis efficax in unguento, quod ita paratur: Succus cataputiæ expreſſus in vaſe plumbeo ſoli exponitur, usque dum conſiſtentiam unguenti acquiſiverit, ita condenſatus cum mercurii dulcis præcipitati & plumbi nigri ana ſcrupulo uno miſcetur, & ad uſum reconditur. Mercurius dulcis vero obtinetur, ſi uncia ſemis mercurii dulcis cum libra una aquæ calcis vivæ miſcetur, & per duos dies in quiete ſervatur, quo facto mercurius in pulverem nigrum præcipitatur, qui ope filtri ab aqua ſeparatus, ſiccatur. Sed quæ eſt, quæ adhibetur cataputia? Succi condenſati miſcendi, quæ eſt doſis?

CATAPUTIA Maior *Offic. Botanicorum.* RICINUS Vulgaris. Claſſis Incomplet. *Germ.* Purgir-Körner. *Gallis* Ricin. *Angiis* Mexico Seeds.

RICINUS vulgaris, qui, *foliis peltatis*, *palmatis*, *ſerratis*, *petiolis glanduliferis*, cognoſcitur, officinis

hæc ſemina largitur, quæ cataputiæ maioris ſemina dicuntur, quod vel ideo magis tenendum, quod etiam ricini maioris ſemina multis in officinis proſtent, cum prioribus non confundenda, quia ex alia planta, Iatropha nempe, foliis cordatis angulatis, deſumuntur; utraque tamen admodum ob exurentem acrimoniam, vim inflammantem, ſuſpecta eſſe debent.

VIS anthelminthica LINNÆO ſpecifica. Doſis ſcrupulus ſemis unus.

CHAMÆLEON Niger *Offic.* *Botanicorum.* ECHYNOPS. Claſſis Naturalis Compoſitarum. *Germ.* Schwartze Eberwurtz. *Gallis* Cameleon Noir. *Anglis* Black Chameleon.

ECHYNOPS *floribus faſciculatis*, *calycibus multifloris*, ſuccum inflammantis acrimoniæ habet, BELLONIUS, ut male carlinæ viribus accedere perhibeatur, DALE. Non eſt in uſu.

CHRISTOPHORIANA *Offic.* ACTÆA *Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *German.* Chriſtoph-Kraut. *Gallis* Herbe de St. Chriſtophle.

ACTÆA baccas nigras multum venenatas fert, etiam antiquitati ſuſpectas, quæ tamen in extractum redactæ ab ignaro pharmacopœo, & ſub extracti Hellebori HIPPOCRATIS nomine, repoſita, duodecim granorum pondere, puellæ præſcribuntur absque malo effectu SAUVAGES *Acad. des Sciences 1739.* Externe ad ſcabiem nonnullis habentur utiles.



Landesbibliothek Oldenburg

CLEMATIS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Waltreben. *Gallis* Herbe au geux. *Anglis* Climers.

Inter Clematidum plures ſuſpectas ſpecies, maxime *vitalba foliis pinnatis, foliolis cordatis, inæqualiter inciſo-ſerratis* definita, acerrima, & ad inurenda ulcera recepta, HALL. etiam podagricis pro veſicatorio applicata CHESNEAU.

COCCUM GNIDII *Offic. Botanicor.* THYMELÆA. Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Klein Kellerhals Saamen. *Gallis* Garou, *Anglis* Spurge Olive.

THYMELÆA *floribus ſpicatis ſub foliis ellipticis, modice acuminatis, lævibus, mollibusve* HALLER, ſemen hoc officinis largitur, admodum urens, inflammatorium, exulcerans, præfocans, experimento *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Sunt etiam in hac gente ſociæ ſuſpectæ; in thymelæa enim floribus inter folia acuminata lævia duraque poſitis, fervor, & venenum idem eſt HALLER. Huius cortex ſub nomine mezerai officinis plerumque exhibetur. Peſſimum noſtræ plantæ effectum TRAGUS vidit, cum magno & diuturno ſanitatis detrimento in Dania exhiberi BUCHWALD, cruentam alvum facere DODONÆUS, reliquere.

USUS in hydrope illæſis viſceribus cautus, ad ſcrupulum ſemis, unum, GEOFFROY: folia in aqua frigida macerata drachmæ dimidiæ, vel unius pondere, infuſum dant æque purgans hydropicum.

COL-

COLCHICUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Zeitloſen. *Gallis* Mort au chien, colchique. *Anglis* Wildſaffron.

Venenata ſtirps præfocat experimento *Illuſtriſs.* L. B. van SWIETEN. A radice ad necem purgatus ruſticus LUDOVICI. Puella ventris torminibus ab aſſumpto veneno tertia die rapta, GARIDEL. Ex ſeminibus mors poſt horrendos vomitus in duabus puellis, PEYER; etiam gallinis lethale ſemen, *Acad.* N. C. Vol. X. Turcæ Colchici floribus in vino infuſis ad ſtupiditatem inebriantur. An eſt in amuleto WEDELII ex colchico, & aliis confecto, laudata virtus? Cæterum legi poteſt de hac radice A. STOERCK libellus.

CORIARIA *Offic. Botanicor.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Klein Mehlbaum. *Gallis* Blanche Putain. *Anglis* Waxfaring Tree.

CORIARIA, ſeu *Rhus myrtillifolia Monſpeliaca* C. B. vim particularem epilepſiam omnibus animalibus inducendi habet, SAUVAGES *Acad. des Sciences 1730.* ex hoc LINNÆUS citat, negat vero repetito experimento *Cl.* MANETTI *Virid. Florentino.*

CORONA IMPERIALIS *Offic.* PETILIUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *German.* Kaiſer Cron. *Gallis* Couronne Imperiale.

PETILIUM *foliis caulinis*, venenata vi cicutæ par, ſucco acri, mordace, exulcerante, gangrænoſum, WEPFERI obſervatione, & CAMERARII experimento infame habetur.

CY-

Landesbibliothek Oldenburg

CYCLAMEN *Offic. Botanicorum* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Schwein-Brod. *Gallis* Pain de porceau. *Anglis* Sowbrede.

CYCLAMEN *foliis cordatis, corolla reflexa,* ob qualitatem acrem fervidam, quæ aſſatione ita perit, ut radix eſculenta fiat, damnatur; audacioribus in ſucco purgandi ſcopo drachmarum duarum, triumve doſi, non ſatis tuto exhibetur; in uſum externum cataplaſmatis, ut etiam emplaſtri admittitur; vermes deſtruere, & ſcrophulis prodeſſe inunctum perhibetur.

CUCUMIS ASININUS *Offic.* MOMORDICA *Botanicorum* Claſſis Naturalis Incomplet. *Germ.* Eſels Kürbs. *Gallis* Concombre ſauvage. *Anglis* Wild Cucumber.

MOMORDICA abſque cirrhis, officinis ſuam radicem, & extractum, quod Elaterium vocant, largitur. Vis in utroque liquida fundens, carnes liquans, draſtica, periculoſa, iam veteribus cognita; ut omnia purgantia, ſi eſſent valida, vocarent elateria, EROTIANUS. Cæterum elaterii parandi rationem DIOSCORIDES dedit optimam, idque poſt bimatum tantum exhibendum contendit. Scrupulum, recens ſine noxa, ab *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN exhibitum, omnino abſtulit.

USUS in morbis deſperatis prudens, hydropicis illæſis viſceribus egregius. Elaterii doſis periculoſa eſt; a minori incipiendum, grano nempe uno, duobus ad quatuor. Scrupuli unius pondus LINNÆUS habet, forte errore typographi? Radicis cucumeris aſinini doſis maior, gran. decem, quindecim. Drachmam dimidiam pulveris dum vini Malvatici, vel Hiſpanici

nici unciis duodecim infunderet, & in tres potiones, tribus diebus mane ſumendas, divideret CAPIVACCIUS, multos curavit hydropicos.

Cæterum tamen ignorari minime debet, draſtica hæc purgantia rarius Hydropicos percurare, ſæpius vires deiicere, tumorem ipſum non emungere, & hac methodo profligatum ſæpiſſime redire, ut Artis Medicæ Principes diuretica purgantibus ſemper commiſceant.

DRACONTIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Palmarum.

DRACONTIUM *ſcapo breviſſimo, petiolo radicato, lacero, foliolis tripartitis, laciniis pinnatifidis,* LINNÆUS. Huius ſpatha, dum aperitur, fœtorem putridiſſimi cadaveris ſpargit, olfacientes attonitos, & catalepticos reddit, IDEM *in Hort. Cliff.*

ESULA *Offic. Botanicorum.* TITHYMALUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Teuffelsmilch. *Gallis* Tithymale. *Anglis* Wilde ſpurge.

Variis in officinis variæ Tithymalorum ſpecies in uſu ſunt: Holmiæ adhibetur Tithymalus *altiſſimus lævis, foliis ſub floribus ternis, cordatis, fructu verrucoſo,* HALLERI. Flensburgi, teſte BUCHWALD, tithymalus *foliis ad caulem ovatis, ſub floribus binis, cordatis, obtuſiſſimis, umbellæ radicis paucis, vagiſque,* HALLERI: Alibi tithymalus *foliis ad caulem linearibus, obtuſis, radicis umbellæ plurimis, petalis lunatis,* HALL. & tithymalus *foliis ad caulem cruciatis, lingulatis, ſub floribus cordatis, longe acuminatis, ſcutis bicornibus obtuſis;* & hic venenatiſſimus eſt.

Tota

Tota fere gens cauſtico ſcatens lacte, purgante vi infamis, acidis cicuratur, & in hydrope permittitur, BOERHAAVE. Officinæ radicem eſulæ habent, non nullæ præparant, & ſiccant, aliæ vix tantam curam adhibent. Doſis pulveris pro hydropico granorum decem, viginti quinque; corticis radicis decem, quindecim; in infuſo drachmæ unius, unius cum ſemiſſe, addito ſyrupo de ſpina cervina.

EUPHORBIUM *Offic. Botanicor.* TITHYMALUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Euphorbium. *Gallis* Euphorbe. *Anglis* Euphorbium.

TITHYMALUS *aculeatus, nudus, multangularis, aculeis geminatis*, inciſus lac fundit cauſticum inflammans, infelici in horto Lugduno-Batavo exemplo. Hæc lacryma exſiccata, non minus cauſtica, granuloſa, cavernoſa, in aqua, & ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubilis, gummi-reſinoſa eſt. Ardentiſſimum hydragogum interno non ſatis tutum uſu, etiam inter errhina infame.

USUS chirurgis ad cariem oſſium in pulvere utilis; emplaſtro exceptum euphorbium veſicans eſt. Oleum in tumoribus duris nobile, laudatum.

HELLEBORUS Niger *Offic. Botanicor.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Germ.* Schwartze Nieſſwurtz. *Gallis* Veratre Noir. *Anglis* Black Hellebore.

Veterum multa hellebororum laudatio, magna contemperata infamia eſt, etiam noſtris temporibus ex medicamenti incertitudine accumulata. Teſtimonia utrinque multum dubia ſunt, etiam contraria PAUSANIÆ, & GA-

& GALENI. Utique compulſis omnium authorum locis, quid veterum helleborus, ignoratur, ut huic vel illi ex veteribus adſcripta laus non ſatis certa videatur; accedit, quod etiam eadem hellebori ſpecies in diverſis regionibus virtute variet: in Gallia adhibita, anglica valentior, BOULDUC *Acad. des Sciences.* Helleborus anglicus vix multum purgat, QUINCY.

Officinis noſtris hellebori nigri *ſcapo nudo, biſloro, foliis pedatis*, definiti radix, & fibræ receptæ ſunt, an purgantes? dubitat LINNÆUS, licet validiſſimum & vetuſtiſſimum purgans alii habeant; ſed etiam deſperato paralytico, in quo & nervi ob longius iam tempus collapſi exſtimulandi, & profunde impacta materies ſolvenda, extracti valida doſis ab *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN exhibita, alvum vix ſollicitavit; plurimum primo angi æger, ſingultire dein, vomere, & alvum ſemel deponere; levatus æger, non reſtitutus.

VIS alterans, ſolvens, princeps, emmenagoga chalybe potior, MEAD, QUINCY, & *Illuſtriſſ.* van SWIETEN obſervationibus, qui aquæ ſtillatitiæ Rutæ infundit; ad hæc in obſtructionibus, mania, melancholia, plurimorum experimento utilis. Doſis expiſcanda eſt, nec forte in omnibus locis eadem: Anglici hellebori grana quindecim, viginti, ſcopo alterante ſudorifero dedit QUINCY, grana quindecim ſcopo emmenagogo, fibrarum conciſarum hellebori gallici drachmam ſemis, in lactis uncia una ſemis ebulliendam IDEM; in infuſo drachmam unam, duas, etiam maiorem quantitatem, alii etiam unciam ſemis in decocto dant, quod egregium ad maniam medicamentum habent: In morbis apoplecticis, ſoporoſis, aliisque gravibus, a cauſa frigida dependentibus, vel hellebori decocto, vel extracto cum ſale gemmæ, aut colocynthide, feliciter multi

multi utuntur, L. B. van SWIETEN. Externe ruſtici maiora armenta, transfixa cauda, & inditis huius radicis fibris, a multis morbis liberant: ſed etiam ſic purgat, WALÆUS.

Examen chemicum BOULDUC docuit, reſinoſam partem exiguam valentiſſimam, gummoſam abundantiorem purgantem quidem, tamen mitiorem: Extractum ſpiritu vini ſolo factum ſuſpectum eſſe debere, aquoſum malignum non eſſe ad ſcrupulum, & ultra exhibendum, quod & alii confirmant. Aqua ſtillatitia erat acris, BOULDUC, ſpirituoſa ad unum cochlear alvum duxit, HALLER, ad octo iuvenem efficaciſſime purgavit, BORRICHIUS. Virtus hellebori nigri omnium feliciſſime obtinetur, ſi groſſus eius pulvis cum ſale tartari teratur, trita in aere reliquantur, ut deliqueſcant, QUINCY. Tenue vinum in menſtruum additum helleboro, pulchrum ſolvens eſt, IDEM.

Varia variis in officinis hellebori nigri præparata habentur: Noſtræ ſolum *extractum* aquoſum poſſident, per ſe adhibendum doſi granorum duodecim, viginti, ſtimuli loco aliis addendum, doſi gran: quinque, decem.

HELLEBORUS Albus *Offic. Botanicor.* VERATRUM. Claſſis Natur. Liliorum. *Germ.* Weiſſe Nieſswurtz. *Gallis* Hellebore blanc. *Anglis* White hellebor.

VERATRUM *caule ramoſo*, eſt helleborus albus officinarum, diſtinctiſſimus a priori, ut, cur confundi, & eodem nomine inſigniri potuerit, mirandum ſit. Malignus eſt, & ex communi conſenſu noxius. Dum contunderetur helleborus albus, adſtantes purgati ſunt, BOY-

LE: Regius princeps a ſcrupulo hellebori albi aſſumpto intra trihorium convulſis periit, HELMONT: a ſcrupulo convulſiones motæ, *Ephem. Acad.* N. C. canis eadem doſi ad ultima deductus, WEPFERUS: ab hoc multi ſtrangulati, FALLOPIUS: etiam in diſcrimen ab admodum exigua doſi deductus in audaci experimento ipſe GESNERUS: Multos tamen in pratis plantam ſine noxa comedere HALLERUS vidit.

Chemia Helleborum absque aqua deſtillans, ſpiritum acerrimum, ſublimati corroſivi ſolutionem coagulantem, producit, BOULDUC. *Acad. des Sciences.* Tinctura ſpiritu vini facta, veneno noxia magis, HERISSANT. *Acad. des Sciences.*

USUS in epilepſia, mania, rarus, quod non ſatis tutus: ſed aceto cicuratur, & revocandum ad officinas eſt oxymel Helleboratum GESNERI.

HERMODACTYLUS *Offic. Botan.* IRIS. Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Hermodactylen. *Anglis* Hermodactyles.

IRIS *corollis imberbibus, foliis, tetragonis* L. an noxia dicta, quod primis botanicis colchici ſpecies haberetur? omnino videtur, nam veneni nullum exſtat exemplum. Recens bulbus, & vomitum, & alvum movet, adultior magis alterans eſt.

VIS ad reſeranda obſtructa in vaſis minimis celebris, in rheumatismo, amauroſi, conveniens laudatur. Etiam ineſt purgans: datur pulvis drachmæ ſemis, unius pondere. Dum infunditur, uncia ſemis præſcribitur. Arcanum ad morbos articulares hermodactylorum pulverem ab omni tempore multi habuere. Nuper

per adhuc cum aliis ut ſecurum remedium, quo dolores arthritici levarentur, & ſedarentur, præſcriptum legimus in *Comment. Societ. Scient. Harlemenſis* P. II. hoc modo: ℞. Polypodii, Hermodactyli. Rad. Bardanæ, Sarſaparill. ana uncias quatuor: Raſuræ ligni ſancti uncias duas. His conciſis menſuræ novem aquæ, tres vini albi, ſuper affundantur, ſtent in digeſtione integra nocte, dein tribus horis leniter ebulliant, refrigeratum liquidum per incerniculum crinitum, denſum, filtretur, reſiduis fæcibus de novo ſuper affundantur aquæ menſuræ ſex, vini duæ, ebulliant ad tertiæ partis remanentiam, decantetur liquor, priori affundatur, ſumatur pro potu ordinario.

HIPPOMANE L. Claſſis Naturalis Incompletarum.

HIPPOMANE *foliis ovatis, ſerratis,* venenata dat poma, quorum venenum folia Ricinoidis Americanæ folio multifido T. domant, SENACO teſte.

HYACINTHUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Mertzblume. *Gallis* Hyacinthe. *Anglis* Harebell.

Ex fabula magis, quam obſervatione, noxius dicitur multis; tamen inter haſce huius ordinis radices venenatas, hyacinthi *Narciſſi Coronæ Imperialis* LINNÆUS numerat, & tulipæ, & Lilii ab omni ſuſpicione abſolvit, quod Tulipæ radix in Italiæ quibusdam locis, edulis, lilii martagonis in Sibiria in quotidianum alimentum cedat.



Landesbibliothek Oldenburg

NIGELLA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Germ.* Schwartz-Coriander. *Gallis* Barbue. *Anglis* Nigella.

NIGELLA *petalis ſubtricuſpidatis*, *foliis ſubpiloſis* cognoſcenda, nonnullis ſuſpecta habetur, licet luculenta deſiderentur teſtimonia. Semina aromatica acria ſunt, oleo, quod exprimi poſſet, plena, TOURNEFORT. Expreſſum oleum nardinum per errorem multi vocant.

USUS internus vix confirmatus: an devoratum ſesqui drachmæ pondere ſemen per aliquot dies, rabiem caninam tollit? ſternutatorium acre eſt L. B. van SWIETEN.

OLEANDER *Offic. Botanicorum* NERIUM. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Oleander. *Anglis* Oleandre Roſe Tree. *Italis* Leandro.

NERIUM *foliis lanceolatis ternis*, repetitis etiam experimentis venenatum deprehenſum eſt. Narcoticum, carum inducens, LINNÆUS *Vires Plant.* Una tamen ſpecies antidyſenterica EIDEM audit. Oleander venenum alit, GODFREY *a Treaſure of diſcoveries.*

RANUNCULUS. vide p. 37.

SCAMMONEUM vide Claſſem purgantium P. II. p. 225.

TAGETES *Botan.* Claſſis Nat. Compoſitarum-Radiatarum. *Germ.* Sammetblum. *Gallis* Oeillet d'Inde. *Anglis* Africane Marigolt.

TAGETES *caule ſubdiviſo diffuſo*, aliis flos Africanus, ut etiam Tunetanus dicta, odorem gravem, caput

put tentantem ſpargens, experimento DODONÆI multum infamis habita: ſed etiam experimentum repetens LEMERY criminari plantam non potuit, quam ultimo anodynam eſſe LINNÆUS pronunciavit.

THAPSIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Tapſia. *Italis* Tapſia. *Anglis* Deadly Carrots.

THAPSIA *fœtida, foliis multifidis, baſi anguſtatis*, cognoſcenda, radicem officinis concedit, periculoſum purgans. Salmanticenſes vetulas menſtruorum promovendorum cauſa cum periculo ſurſum, & deorſum moveri, CLUSIUS. In terra Attica pecudes incolas eam non tangere, peregrinas vero depaſcentes vel alvo ſoluta liberari, vel interire, iam THEOPHRASTUS edixit.

USUS in medicina externus olim multus, frequenti NERONIS experimento clarus, dum nocturnis graſſationibus converberatam faciem cum Thapſia, thure, & cera illiniret, ut ſequenti die contra famam cutem ſinceram circumferret, PLINIUS. Sugillata delere, in profundo latentia evocare, veteres omnes perhibent.

TIGLIÆ, ſeu TILLI GRANA *Off. Botanicorum* CROTON. Claſſis Incompletar.

CROTON *foliis ovatis, glabris, acuminatis, ſerratis, caule arboreo*, fert grana, cum periculo ſurſum deorſumve moventia, admodum ſuſpecta, cauſtica, mulo-medicis hinc inde frequentia: ad tænias cum effectu tamen uſus COHAUSEN, doſi granor. duor. trium.



Landesbibliothek Oldenburg

TOXICODENDRON TOUR. RHUS LINN. Claſſis Natur. Fructiflorarum.

RHUS *radicans triphyllum*, *glabrum*, inter alias ſpecies IOSEPHO MONTIO *in Bononienſis ſcientiarum & artium Inſtituti Tomo III.* quod ne altori quidem optimo parceret, infame merito declaratum fuit. Mirum venenum planta habet; rudius contrectata, affricata corporis parti, puſtulas nigras cum inflammatione, puritu excitat, brevi per totum corpus diffuſas; lac magis venenatum eſt, lædit & ipſe halitus: remedium malo nondum inventum; nata in puſtulis & maculis ſuppuratio auxilio fuit: ad dolores leniendos decocto foliorum malvæ cum ſambuci extremitatibus utiliter uſus MONTIUS.

An decocta planta minus venenata? panis hac decoctione ſaturatus, felibus, gallinis, exhibitus innocuus, IDEM. Eſt adhuc in hoc genere venenatum Rhus *Vernix* fructu rhomboide, ipſa etiam, quæ ex inciſo cortice exſtillans cryſtallina lactea lacryma aeris contactu conſiſtit nigra, vernix; tum Rhus *Toxicodendron* proprie dictum LINNÆO, de quo tamen nuper etiam retulit ex plurimis experimentis egregius ROSSI, nec totius plantæ ſuccum nec illum lacteum, nec plantæ radicem ore aſſumptam, nec ſuccum crurali venæ infuſum canem interimere potuiſſe, vividumque perſtitiſſe, etiam aſſumptis duabus radicis Toxicodendri unciis gallum. *De nonnullis plantis quæ pro venenatis habentur obſervationes Piſis.*

CLAS-

# CLASSIS SECUNDA VENENORUM STUPEFACIENTIUM.

BELLADONNA *Offic.* ATROPA *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Dollkraut. *Italis* Bella donna. *Gallis* Morelle Marine. *Anglis* Dwale.

ATROPA *caule herbaceo*, *foliis ovatis*, *integris*, ſolanum furioſum maniacum etiam dictum eſt. Radicis minor doſis ſpecies vanas, duplicata mentis alienationes, quadruplicata mortem adfert, DIOSCORIDES. A folii recentis particula oculo appoſita, pupillæ relaxatio, RAIUS, cæcitas, WEPFER. Baccæ vero primum maniacæ, dein lethales, & quidem præter experimenta MATHIOLI, LOBELII, adoleſcentulum unum mortuum ex eſu duarum, triumve baccarum BODÆUS a STAPEL habet; chirurgus medico, ne comederet monenti, illudens, a tribus, quatuorve baccis comeſtis interiit. L. B. van SWIETEN. Lethalis baccarum alter effectus SCHUSTERO *Actis Phyſ. Med. Acad.* N. C. Vol. VI. deſcriptus eſt. Salus in vomitu, & aceto. Et hæc quidem huius plantæ infamia eſt.

Verum etiam in laudem illius nonnulla dici poſſunt: oppoſita eſt diriſſimo cancro, & in eo malo ſpecifi-

cifica dicta, ALBERTI, quanquam non ſemper aut innoxio aut felici eventu, HEISTERUS, HALLERUS; Et licet in lectione inaugurali ephemeridem perſanati carcinomatis ope Belladonnæ ſiſtat LAMBERGEN, id non obvenit ſine terrificis ſymptomatibus, ut dein non amplius remedio inſiſteret. Ultimo probavit novis experimentis eius vim GATAKER, & peculiari adverſus cancrum virtute valere negavit, *Obſervations on the internal uſe of the ſolanum or Nicht-Shade 1757.*

Eſt tamen ubi etiam nuperrimis in experimentis bene ceſſit, VANDENBLOCK *Iournal de Medecine, Chirurgie &c.* T. XIV. 1761. & eo in caſu utilis deprehenderetur, ubi cicutæ vis nulla eſſet, ut demum iudicioſe concludat *Cl.* Vir, nullum ſpecificum univerſaliter tale eſſe: cicutam ubi in cancro putredo, gangræna adeſſet, belladonnæ præferendam: belladonnam contra, ubi acrimonia corrodens adeſſet, etiam fungoſa caro excreſceret, cicutæ anteponendam: Belladonnam ſubiectis ſenſilibus, delicatulis, hyſtericis, hypochondriacis, ſanguineis, bilioſis, terrifica inducere ſymptomata, vertiginem, caliginem, aliarum evacuationum ſuppreſſionem, his vero pituitoſos, melancholicos immunes eſſe, omnes oris faucium ſiccitate torqueri. Doſis grani unius, duorum: infunditur hæc in vaſculo theato aqua pleno; primis diebus ieiuno ſtomacho vaſculum tantum unum ſumitur, dein ſi e re videatur duo, tria. Maiori etiam pondere datum medicamentum hocce fuit. Moniali cancroſæ a D. COLLIGNON ad drachmam de die in infuſo *Iournal.* c. T. XIV. obſervat. I. *Cl.* MARTEAU vero ita præparatum exhibuit:

 ℞. Bel-

℞. Belladonnæ uncias quatuor, menthæ criſpæ uncias duas, croci orientalis drachmas duas, minutiſſime conciſa inde in matratium capaciſſimum, ſuperaffunde ſpiritus vini libras duas, & ſpiritus volatilis cornu cervi ſine calce eliciti unciam ſemiſſem, rite obturato pellicula ovina aut vitulina matratio, eandem pelliculam acu perfora, digere per quatuor dies balneo mariæ viginti quatuor gradibus ad thermometrum REAUMURII calido, cola, fortiter exprime, expreſſum liquorem pondera, quantumque e duabus libris deſiderabitur, tantumdem ſpiritus vini expreſſis herbis ſuperaffunde, cola denuo, fortiter exprime, utramque colaturam miſce, goſſypio filtra, vaſe rite cooperto. Tinctura datur in infuſo theiformi botris mexicanæ, vel alterius plantæ cordialis ad guttas octo, quæ grano uni æquivaleant, ſic ſenſim doſis augetur: ad grana undecim de die ſubminiſtrata eſt ab authore, igitur data ad guttas octuaginta octo absque incommodo.

Cæterum iam olim baccarum ſuccum in ſyrupum coctum GESNERUS dyſentericis exhibuit, & infuſum vinoſum *Ephem.* N. C. Nonnulli infuſis in ſpiritu frumenti baccis aſthmata curant. Innocuas in cuniculi ventriculum intruſas baccas, & in venas iniectum ſuccum, aqua dilutum, non infamem *Clariſſ.* MANETTI *Horto Florentino* teſtatur, vidit etiam in imum ventrem infuſum ſuccum inſontem eſſe nec ullo inflammationis aut doloris ſigno perturbari, aut canes aut gallos aut pullos aut aviculas, dum horum oculi pluma ſucco madida tangerentur ROSSI l. c.

CASSAVA Amara, vel MANDIHOCA *Offic.* *Botanicorum* IATROPHA.

Radicis eſculentæ ſuccus venenatus experimentis HERBERT, qui diſſertationem inauguralem de ea ſcripſit; planta noſtris terris ignota, ut & venenum.

CICUTA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *German.* Schirling. *Gallis* Cigue. *Anglis* Hemlock, or Common Hemlock.

CICUTA *maculata, caule maculato, ſeminibus ſubovatis ſtriatis.* Huius plantæ confuſæ admodum apud obſervatores deſcriptiones, ſcrupulum non exiguum ratione effectuum obſervatorum iniiciunt: iam enim hi medicamentum criminari, illi non adeo ſuſpicere, alii omni ſcelere abſolvere, ut ultimo plerasque de cicuta hiſtorias incertæ plantæ eſſe poſt TREWIUM pronunciarit HALLERUS. Sed ea dicamus, quæ propriora cauſæ ſunt.

An omnibus in officinis adhibitæ cicutæ eædem? an officinales omnes venenatæ? quod non examinatum, licet cauſam diiudicare potuiſſet exploratum. Cicutæ in omnibus officinis adhibitæ eædem non ſunt. In Anglia cicuta *maior* in uſu eſt, DALE, eadem in Germania habetur. *Cl.* VOGEL *Mater. Med. aquaticam* GESNERI officinalem facit, an non ex LINNÆO ſcripſit? dum cicutam *maculatam* (quam ex LINNÆO conium vocat) non cicutam *aquaticam* GESNERI, inter plantas officinales Germaniæ receuſet BLAKWELL. T. 451, & nunc aquaticam GESNERI Gottingæ officinalem non eſſe mihi relatum eſt; ſed etiam cicuta *maior*

*maior* ſeu *maculata* adhibetur in Galliis, GEOFFROY, & in Auſtria: cicuta vero *aquatica* GESNERI ſeu *viroſa* LINNÆI, *umbellis folio oppoſitis*, *petiolis marginatis*, in Seciæ officinas recepta eſt, LINNÆUS. Adhæc cicuta minor petroſelino ſimilis C. B. ut & cicutaria aquatica quorundam I. B. effectuum cicutæ multam partem tulere; prior tamen Ethuſa *cynapium* eſt Botanicorum, & alterius generis planta, poſterior Phellandrium *aquaticum* ab his duabus diſtinctum, & hodie etiam in noſtris officinis ex Chærophyllo *temulo* Botanicorum, quod caulem maculatam, ut cicuta maior, habeat, extractum parari & pro extracto cicutæ veræ divendi, certus novi, ut vel inde uni eidemque plantæ diverſarum effectus adſcriptos fuiſſe pateſcat.

Neque tamen id vel adeo mirabile videri poteſt, cum etiam hodie Materiæ medicæ ſcriptores cicutam *maculatam* cum *aquatica* GESNERI confundant. Quæ res vel ideo maxime notari meretur, quod ſic graviter in ſalutem proximi, ſi unam alteri ſubſtituerent, peccare & medicus, & Pharmacopœus poſſent, quod VOGEL capere non vult, ne proprium errorem videat, ſed etiam id illi per me licet.

Quod ſecundum ſpectat, venenatas omnes non eſſe, non ſolum mites, ſed etiam ſalutares de cicutis hiſtoriæ confirmant. Scrupulum unum, etiam drachmam ſemis radicis cicutæ in pulvere, vel infuſum drachma una etiam duabus factum, olim ad ſcirrhos viſcerum RENEALMUS propinavit: Drachmæ unius aſſumptæ doſi in iisdem morbis curationem abſolvi vidit ETMULLERUS. Repetito experimento certus unciam mediam dedit PETIVERIUS, & HENLEY integras quatuor uncias devoravit absque noxa *Tranſact.* *Phi-*

*Philoſoph.* ſunt adhuc alia huius rei exempla, ut a crimine cicutam majorem vere abſolveret *Cl.* MILLER in *Botanico officinali anglico, London* 1722.

An radix ſolum venenata? confirmat caſus HEE in *Act. Phyſico Med. Acad.* N. C. Vol. X. Etiam proprio experimento *Clariſſ.* STOERCK. Sed an etiam vernali tempore magis anceps pharmacum? dubitari poſſet. An inde excitati, cicutæ vim adverſus elephantiaſim RATHLAVW, adverſus ſcirrhos & cancros STOERCK noſter, noviſſime probarunt? Equidem poſterioris fide digniſſimæ obſervationes, & factæ curæ aliis hodie abunde regionibus confirmatæ, aureis libellis de virtute cicutæ exſtant, quibus neminem carere poſſe putem. Summatim vero utilem eſſe cicutam vulgarem induratis malis, ſcirrhoſis, ſcrophuloſis, quæ vel reſolvit, vel ad benignam ſuppurationem redigit, cancro limites ponere, etiam acre cancroſum emendare, & ichorem in bonum pus convertere, etiam ſanare fiſtulas, & ſinus, ut & alia ulcera claudere, conſolidare; cataractas incipientes ſolvere, earum progreſſus impedire, matratia ſicca planta farcta aquæ, vel lacti incocta, peſſimæ gangrænæ progreſſum inhibere, corruptum etiam a ſano ſeparare, ſimilia fomenta dolores podagricos non ſolum, ſed & podagricos tophos diſpellere, rheumatiſmum, arthritidem curare, obſervavit.

Præſcriptionis pilularum hic modus. ℞. Herbæ recentis cicutæ quantum vis, exprimatur ſuccus, iſque recens lentiſſimo igne in vaſe terreo ſæpius agitando, ne amburatur, coquatur ad ſpiſſi extracti conſiſtentiam, hoc extractum ſ. q. pulveris foliorum cicutæ in maſſam pilularem ſubigatur, ut fiant pilulæ granorum duo-

duorum. A minimâ doſi incipiendum ex prudentia ſuadet *Clariſſ.* Vir; mane, & veſperi pilulam unam, ſenſim aſcendendo, obſervato effectu, etiam ad drachmam unam, vel unam ſemis de die dedit. Hodie ad unciam ſemis multi vorant: ſuperbibitur infuſum thee, vel aliud medicatum: poteſt etiam pulvis radicis cicutæ, ſ. q. mucilaginis gummi tragaganthæ in pilulas redigi, ſed efficacius priori medicamentum, cautius dandum pronunciavit. Adhæc grana duodecim, viginti, extracti, aquæ ſtillatitiæ unc. ſex, duodecim, diluta, forma mixturæ propinari poſſunt, ipſa etiam cicutæ infuſio meraca in ſinus, fiſtulas, injici.

Reliquum eſt, ut in laudem tanti inventi, quale Vienna nullum novit, candidiſſimo Amico id dicamus, quod olim BOYLE. „I. Eſteem the diſcovering and „divulging uſeful things in phyſic, and the recom„mending good remedies, among the moſt extenſive „acts of charity, whereby a man becomes really mo„re ſerviceable to the World, than by building an „hoſpital.„ Quodſi & Tua hæc, erga proximum charitas livido petatur dente, an non noſcis id HESIODI:

*Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ,*
*καὶ πτωχὸς πτωχῷ.*

CICUTA Aquatica GESNERI, CICUTA L. SIUM HAL. Claſſis Naturalis Umbelliferarum.

CICUTA hæc *viroſa umbellis folio oppoſitis, petiolis marginatis, obtuſis* LINNÆO, *pinnis laciniatis, pinnulis trifidis, nervo non folioſo,* HALLERO diſtinguen-

Landesbibliothek Oldenburg

guenda, unanimibus fere omnium experimentis infamis, integro WEPFERO deſcripta libro eſt. Non eſt œnanthe cicutæ facie, ſucco viroſo, crocante, ut ex MEADIO forte QUINCY, cui vires noſtræ adſcribit. Neque etiam obſervationes *Acad. Reg. Paris.* a D. IAUGON de funeſta ex eſu cicutariæ trium militum morte, de noſtra hac planta eſſe videntur; eſſetne de œnanthe *fiſtuloſa?* quæ foliis caulinis fiſtuloſis, teretibus cognoſcitur. A cicuta aquatica GESNERI pecudum luem Tornoæ LINNÆUS vidit: Et ex ſucco e foliis, & floribus expreſſo, in cuniculo ad ſemiunciam, & cane ad unciam dato, nullum effectum SPROEGEL. *Exper.* VIII. IX. E radicis vero ſucco vomitus, & tremores, non mortem, *Exper.* X. & e pulvere radicis ſalivæ viſcidæ effluvium ſequenti die in eodem cane. IDEM *Exper.* XI.

CICUTARIA Paluſtris Tenuifolia B. PHELLANDRIUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Anglis* Cow-weed or Wild Cicely.

PHELLANDRIUM *foliis ad angulos ramoſis definitum*, multum habitu, non infamia cicutis affine, medicatum plurimis habetur, ſcirrhis, cancris, etiam gangrænæ utile, BOERHAAVE, morbis malignis etiam KRAMMERO Patri opponitur. Seminum interne exhibendorum in abſceſſibus, ulceribus, doſim drachmam unam facit HEISTERI Filius *Acad.* N. C. Vol. V, quæ in initio nimia eſt. Quod phellandrium equis lethale & paraplegiam cauſet, LINNÆI eſt *in itin. Weſt.* 46. teſtimonium; id bobus exquiſitum pabulum *Ibidem* cenſetur. Tamen etiam huius extractum pro extracto cicutæ noſtrarum officinarum datum, homini-

bus

Landesbibliothek Oldenburg

bus nec obfuit, nec profuit, *the London cronicle for Iuin 1761.*

CICUTARIA Pannonica CLUSII vide T. I. p. 34.

DATURA *Offic.* STRAMONIUM *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Stechapfel. *Gallis* Datura, pomme epineuſe. *Anglis* Thornapple.

STRAMONIUM *fructu erecto, calyce pentagono* cognitum, ſua officinis ſemina, ob vim caput tentantem infamia, largitur. Minima horum doſis inebriat, aliquantulum mediocris memoriam tollit, & inſaniam inducit, maior convulſionem, ſudorem frigidum, mortem infert. Funeſto errore ſæpe pro nigella divenditur, BRESLAVIENSES, & ita datum ad drachmam unam pharmacon fœminam occidiſſe, ex HALLERO SPROEGEL excitat. Poma in lacte cocta etiam vertiginem, aphoniam, cum ſenſuum abolitione, delirio feroci, & aliis peſſimis ſymptomatibus induxere, *Eſſays and obſervations before a ſociety of Edimburgh* Vol. II. Unciam ſemis ſeminum fere absque noxa devoravit canis, SPROEGEL *exp.* XIII; ne ideo minus ſuſpecta ſemina ſunt. Veneno medicina acetum.

DORONICUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Gemſenwurtz. *Gallis* Doronic. *Anglis* Leopard's bane.

DORONICUM *foliis cordatis, obtuſis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus,* hodie vix in uſu

uſu eſt, licet adhuc in Anglia frequenter ad ciendos menſes in cerevifia, aut vino propinetur, BLAIR, etiam in noſtris Alpibus colicæ adhibeatur. Vaniſſimum illum rumorem, GESNERUM hac planta ereptum, maſcule refutavit HALLERUS. Sed quod ſuſpectum tamen LINNÆUS dixerit, repetenda experimenta ſunt.

DULCAMARA *Off.* SOLANUM *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Steigender Nacht-Schatten. *Gallis* Douce amere. *Anglis* Bitter-Sweet.

SOLANUM *foliis aliis trifidis, aliis ſimplicibus,* lignoſum, ſcandens, reliquis ſolanis mitius, magis ſaponaceum mundificans, diureticum. Innocuum medicamentum pronunciavit HALLERUS, quod multum deprædicavit in phthiſi, ubi nondum adeſſet humorum colliquatio, BOERHAAVE, etiam in contuſione IDEM, & in lue venerea & ictero LINNÆUS, qui & ſtipitum dulcamaræ doſim facit unciæ unius, duarum. Adhæc in arthritide BUCHWALD laudavit, & decoctum ex herba paratum in arthritide vaga multum præſtare, conſtantem experientiam eſſe, HAMNERIN *de viribus medicis plantarum indigenarum* aſſeruit.

HYOSCIAMUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Dollkraut. *Anglis* Henbayne. *Gallis* de la Hanebane.

HYOSCIAMI *foliis amplexicaulibus* radicem, herbam, & ſemina officinæ habent, & veterum, & recentiorum experimentis ſtupefacientia. De radicibus comeſtis tragicam admodum narrat hiſtoriam WEPFERUS,

RUS, hydrophobiam lethalem vidit, BARRERE. A foliorum manipulo ſemis enemati incocto, iniecto, placidus vir furere, & delirare cœpit. ETTMULLER. A ſolo vapore temulenti facti, BOERHAAVE & amicus, dum emplaſtrum pararent. A ſeminibus comeſtis deſipientiam MATTHIOLUS, vertiginem, deliria, ſomnum profundum STEDMANN. *Philoſoph. Tranſact.* viſus obfuſcationem, memoriæ eclipſin L. B. van SWIETEN proprio experimento: præſentem memoriam cum convulſionibus, *Eſſays and obſervations before a Society in Edimburgh* Vol. II. obſervarunt. Tum ab hyoſciami nigri ſemine in quatuor pueris, ſitis, vertigo, obſcuratio viſus, delirium furioſum cum profundo ſomno, SLOANE *ibidem* T. III. A fumo ſeminum combuſtorum mentis alienatio cum furore, imo etiam ab effluviis ſeminum eadem mala *Ephem. N. C.* viſa. Salus in vomitu. Tamen ex ſucco foliorum ad unciam integram cani dato, nulla perturbatio. *Cl.* SPROEGEL experimento XII.

USUS internus non cognita ſalutari doſi ſuſpectus, nec etiam externus tutus. Seminum vapor in dentem carioſum admiſſus, tum Actorum Haffnienſium, tum aliorum teſtimonio noxius. Oleum preſſum congeneribus efficacius, LUDOVICI, externo innocuum uſu.

LOLIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Graminum. *Germ.* Lulch. *Gallis* Zizanie. *Anglis* Darnel. *Italis* Loglio.

LOLIUM *ſpica ariſtata*, temulentum cognominatum eſt, ob dolores capitis, & temulentiam, quæ cauſat. A lolio temulentia, & ulcera iam GALENO

memorantur. Somnum, temulentiam, vertiginem ab eo CAMERARIUS obſervavit. Lolium cereviſiam temulentam reddit, LINNÆUS: hæc vis in pane, qui in annonæ caritate inde efficitur, perit, IDEM; non eſt venenata, IDEM.

LAUROCERASUS *Offic.* PADUS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calycifloraram. *Gallis* Laurier-ceriſe. *Anglis* Lauroceraſus.

PADI *foliis ſempervirentibus*, *lanceolato-ovatis*, aqua ſtillatitia per plurima experimenta lethalis, BROWNE LANGRISCH integro tractatu *a Courſe of experiments with the Lauro-ceraſus in order to inveſtigate its effects on animal bodies.* Similia etiam experimenta habet DU HAMEL. *Traité des arbres* T. I. Ex quibus omnibus concluſere ambo Clariſſimi Viri, ſemper in nervos venenum agere. Bolus, acetum, auxilio non ſunt: in lacte ſalus *Philoſoph. Transact.* Nro. 418. in quo gratiſſima & ſalubria incocta folia, L. B. van SWIETEN, etiam contra phthiſin laudata, LINNÆUS.

NUX VOMICA *Offic.* STRYCHNOS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis . . . *Germ.* Krähenaugen. *Gallis* Noix Vomique. *Anglis* Vomick Nuts.

STRYCHNOS *foliis ovatis*, *caule inermi*, fructus, certiſſimum animalibus, canibus, felibus, glyribus venenum, aliis ut & homini dicitur innoxium: tamen a granis quindecim interemptam puellam FR. HOFFMANNUS habet; etiam temulentiam, & vomitum

tum ab electuario de ovo, quo recipitur, SORBAIT. Sed iam ante hos deleterium obſervavit fructum MATTHIOLUS. Contra hydrophobiam aliqui laudant cum amygdalis amaris, ſed doſim, & utendi modum non addunt.

OENANTHE *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Anglis* Hemlock-dropwort. *Gallis* Cigüe filipendule.

Etſi tota hæc familia ſuſpecta ſit, deleteria tamen maxime obſervata eſt œnanthe *foliis omnibus multifidis, obtuſis, ſubæqualibus,* tum illa *cicutae facie, ſucco viroſo crocante diſtinguenda.* Solo guſtu mors hominibus, BOERHAAVE, STALPART van der WIEL. Contrita calido die inter digitos folia, naribus ſuppoſita vertiginem inducunt, L. B. van SWIETEN. In acetariis aſſumentes vix evaſere, LOBELIUS. Ex octo iuvenibus triginta annorum hanc edentibus, quinque cum motibus epilepticis mortui, alii miſere affecti vix ſervati ſunt, *Transact. Philoſoph.* Nro. 238. item numero 480. alia fata habentur: Eximius chalcographus EHRET, dum plantam in aere incideret, vertiginem paſſus, *Ibidem,* tum plures alios hac planta raptos, alios in ſummum diſcrimen deductos, BLAIRS *Miſcellaneous obſervations London 1718.* in quo libro etiam aliarum plurimarum plantarum infamia dicitur: & recentiſſime ex triginta ſeptem militibus, radice paſtis, unum ſolum deſiderari vidit ROCHARD. *Journal de Medecine, Chirurgie &c.* Tom. IX. & X.

POMA AMORIS *Offic. Botanicorum* SOLANUM. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Liebäpfel. *Gallis* Pommes d'amour. *Anglis* Love apples.

SOLANUM *caule inermi, herbaceo, foliis pinnatis, inciſis*, cum tota gente ſuſpectum, Italis ſale, pipere, oleo conditum eſitatur; comeditur etiam coctum, BAUHINUS, liberalius vero ingurgitatum periculo non vacat, IDEM. Aphoniam, apoplexiam, induxiſſe in obſervatis eſt. Nonnulli ad epiphoram, eryſipelas, ignem ſacrum, externe laudant.

SOLANUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Nachtſchatten. *Gallis* Morelle. *Anglis* Night-Schade.

SOLANUM *foliis anguloſis, undulatis, caule laevi*, pro atriplice in cibum ſumptum, venenatum edidit effectum, *Comm. lit. Nor.* Etiam a baccis gallinas periiſſe, & convulſos pueros fuiſſe, monet BOERHAAVE. Cæterum tamen externo uſu mite, inflammationi, paronychiæ, eryſipelati, cancro, cataplaſmatis forma admovetur; ſolano furioſo interno uſu præferendum, doſi prima grani unius in uncia una aquæ ferventis, poſt duas tres dies repetenda, & ſolum ad grana quinque, ſex, augenda, GATAKER *l. c.* tunc illico deſiſtendum, ni vel perſpirationem, vel urinam, aut alvum medicamentum moveat: tali methodo hæmiplegia curata fuit, & quod urinam movet, etiam hydrops.

VENE-

VENENUM LAMASCENSE, & TICUNASCENSE. Coctione extractum ex plantis, ab incolis Americanis ad inficienda tela adhibetur. Ingenioſiſſimus mortalium, de la CONDAMINE, in itinere ſuo Americano primam huius mentionem fecit, dein experimenta ſatis periculoſa inſtituit *Cl.* HERISSANT. Necat omnia quadrupedia, aves, carpiones, muſcas; ſaluti ſaccharum, ſal marinum, eſſe dicuntur: tamen ſaccharum feſellit in experimento *Tranſact. Philoſoph.* Nro. 482. Sed eſum animalium hoc veneno necatorum innocuum, de la CONDAMINE, L. B. van SWIETEN teſtantur.

## CLASSIS TERTIA
# VENENORUM
## FOSSILIUM ACIDORUM.

Acida mineralia omnium cognitorum acidorum potentiſſima, & graviſſima, concentrata, venena ſunt cauſtica, cum corroſione, deſtructione partium viventium cito gangrænoſa; quod quidem, quia multiplici hinc inde obſervatione innotuit, non probabo: Nec id inquiram an a gravitate horum ſpecifica, eorumque rigiditate is abſolute pendeat effectus, id vero tantum, quod iam ſæpius dictum, & retinendum, in medium adferam: tres acidorum mineralium diverſas ſpecies eſſe, acidum nempe vitrioli, acidum nitri, acidum ſalis: horum potentiſſimum vitrioli, quod data uncia una proprii ſpiritus drachmas quinque grana tria acidi largitur; ſecundo loco acidum nitri, quod ſimili doſi ſpiritus nitri, drachmas duas, grana viginti acidi; tertio ſalis, quod drachmam unam grana tredecim concedit, ut experimenta docuere HOMBERGIUM. *Acad. des Sciences 1700.* Veniunt igitur in cenſum huius claſſis

VITRIOLORUM Acida. *Spiritus & Oleum.*

Quæ ex vitriolo ad flavedinem calcinato, deſtillatione vel deſcenſoria, vel laterali obtinentur: Et quidem ſpiritus nihil aliud eſt, quam acidum vitrioli maiori

quan-

Landesbibliothek Oldenburg

quantitate aquæ, oleum vero minori, ut ſub forma fluida appareat, contemperatum: glaciale enim, dum magis dephlegmatum eſt, & conſiſtit, dicitur.

ALUMINIS Acidum, Vitrioli idem.

SULPHURIS Acidum, quod flagrante phlogiſto ſolum obtinendum ſub campana, ſpiritus ſulphuris per campanam dicitur.

NITRI Acidum. Spiritus fumans, ſeu aqua fortis, verus nitri ſpiritus, vitrioli acido, baſi nitri ob maiorem affinitatem iuncto, in deſtillatione expulſus, ſolemne argenti menſtruum, & facile, dum duæ partes ſpiritus uni parti argenti ſuperfunduntur.

AQUA REGIA acido nitri, & ſalis, vel nitri, & ſalis ammoniaci contemperatis exurgens, recens argentum ſolvens, adulta non attingens, verum auri menſtruum. Alia de nitro dicta ſunt parte II. *de attenuantibus*.

SALIS Acidum. Spiritus acido vitrioli expulſus efficacior, terris bolaribus ignavior, ſemper tamen corroſivus, ſi purus eſt; alia de ſale Parte II. Acidis mineralibus aſſumptis, ſpes in oleoſis, mucaginoſis.

Quantumvis vero hæc acida mineralia per ſe venenata ſint, horrenda tamen magis evadunt, ſi glebæ metallicæ iuncta ſint: atque tales multæ metallorum ſolutiones habentur, ut auri, argenti &c.



Landesbibliothek Oldenburg

AURUM *Omnium.* Claſſis Naturalis Metallorum Nobiliorum, *Mineralogiae* W. *Germ.* Gold. *Gallis* Or. *Anglis* Gold.

*Metallorum ponderoſiſſimum, ſimpliciſſimum, aqua regis ſolubile*; AURUM eſt: adhæc nec elaſticum, nec ſonorum, nec aere, aqua, igne deſtruendum, licet admodum malleabile, & ductile, deprehenditur, ſimul etiam tenaciſſimum ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum vigeſimam fere ſui ponderis partem amittit. Aqua regia mediante calore ſolvitur ſolutione tranſparente. Solutio auri in acidis foſſilibus horrendi ſaporis omnia erodit, BOERHAAVE, eiusdem notæ etiam ſal metallicum auri, aut cryſtalli ſolares habentur.

Solutio auri alcali volatili, fixo, aut terra abſorbente præcipitata, exſiccata prudenter, *aurum fulminans* audit, quod pondere aurum in compoſitionem receptum ſuperat, & in magna copia aquæ lotum, omni ſale purgatum, non amplius fulminat, etiam ſimplici fuſione in aurum reſuſcitari poteſt, MACQUER, nec opus eſt illi reducendo corpora inflammabilia adiicere cum principium inflammabile non perdiderit SPIELMANN.

Hoc compoſitum vim fulminandi habet, quam tamen oleum vitrioli affuſum inhibet, MACQUER, & ſulphur Baſil. VALENTINUS, & ſalis acidum ROLFINCK, & acetum SPIELMANN; quem vero ſal ammoniacum in menſtruo ſolvente receptum, aut alcali volatile ad præcipitationem adhibitum, conſtanter intendunt, WALLERIUS, & alcalina fixa ſupprimunt STAHL *fund.* an inde ratio virtutis fulminantis quæſita evidens? nuper primus patefecit non ſatis laudan-

dus

dus Pharmacopæus MEYERS eam a cauſtico dependere, & nunc facile intelligimus affuſo oleo vitrioli ſalis aut aceti acido, ipſo addito ſulphure cauſticum mutari, & vim fulminantem hoc mutato tolli.

Ignorari vero non debet hocce compoſitum non ſolum medioeri calore, ſed etiam tritu, compreſſione validiori explodi, GAZETTE SALUTAIRE 1761. N. II. imo cum aliis pulveribus rudius tritum inflammari, HANNÆUS *ibidem* N. XLII.

Sed eſtne aurum fulminans medicina? facilis reſponſio. Aurum fulminans menſtruis ſalibus gravidum ſuſpectum, L. B. van SWIETEN, nec unquam Illi adhibitum ſalibus ſpoliatum omnibus, humanum corpus non mutat, nec ab eo mutabile metallum, tamen ut in officinis habetur præſcriptum, quandoque miras anxietates fecit, periculoſa etiam ſymptomata excitavit, ut non amplius in Anglia adhibeatur.

Croci, magiſteria, radicales aliæ auri ſolutiones, in uſum medicatum pariter vanæ ſunt.

ARGENTUM *Omnium.* Claſſis Naturalis Metallorum Nobiliorum, *Mineralogorum*, W. *Germ.* Silber. *Gallis* Argent. *Anglis* Silver.

ARGENTUM *album, ſplendens, ſonorum, elaſticum, metallum*, in aqua forti crudum, in acidis vegetabilibus, aceti, ſucci citri, ſalis acetoſellæ, præparatum ſolvitur, *Cl.* MARGGRAF, præcipitatum etiam ſale alcalino, tum fixo cum ſanguine confecto reſeratur, tum volatili ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſi, IDEM.

Poſt aurum maxime ductile hoc etiam magis elaſticum & ſonorum & durum eſt; in igne perſtans nec alteratur, nec ponderis diminutionem patitur, potiſſimum tamen arſenico & ſale communi volatile redditur. Cæterum nec aquæ ſubiacet, in bilance hydroſtatica unam undecimam fere ponderis ſui partem amittit, ſpiritu nitri cum efferveſcentia & calore diſſolvitur, ſolutione acerrima & cito deleteria. Sic etiam cryſtalli inſpiſſatione ex hac paratæ, cauſticæ, lotæ ſæpius, etiam dein ſiccatæ, adhuc amariſſimæ, argentum hydragogum ANGELI SALÆ conſtituunt, vix tuti uſus.

LAPIS INFERNALIS LUNÆ ex inſpiſſata puriſſimi per ignem argenti meraca ſolutione, conſiſtentiam nactus, aut etiam ex cryſtallis lunæ igne fuſis, & in modulos coniectis exurgens, inſtar ignis cauſtici, corpus animale in eſcharam cito comburit, imo marmor deſtruit, WALLERIUS; eſt huius lapidis multus chirurgis uſus, & quidem omnium:

1. Ubi cultri, aut ignis uſum ita abhorrent ægri, ut his viſis animo deficiant.

2. In omni caſu, ubi tumor exſtirpandus ob loci difficultatem ferro tentari non poteſt, etiam ubi polypi, ſcirrhi reliquiæ conſumendæ, ulceris in profundo ſiti callus auferendus, cancri venerei medicandi.

3. In phlegmonibus œdematoſis lente ſuppurantibus, in tumoribus inflammatoriis malignis, quibus materies cauſtica incluſa eſt, ut bubonibus venereis, peſtilentialibus, tum & in aliis a venenatorum animalium morſibus exortis, ut ipſum in labiis vulneris hærens

rens venenum citius, quam in ſanguinem ſuſcipi poſſit, deſtruatur.

4. Etiam in carie oſſium; in carie enim, quam ignis curare non potuit, lapis infernalis eximio ſeſe uſu probavit. Cæterum nec id ignorari debet, ruptorio communi chirurgorum, & oſſibus ad albedinem calcinatis, commixtis, aquam marinam deſtillatione in vaſe convenienti dulcem reddi, & potabilem, hocque inventum eſſe IOSEPHI APPLEBY Angli.

In eundem cenſum aliorum metallorum, aut ſemimetallorum ſolutiones acidæ revocantur; ex his enim plurima in tribus his acidis ſolvuntur: ita oleum vitrioli, ſpiritus nitri, ſalis, diſſolvunt cuprum, ferrum, ſtannum, zincum, plumbum: oleum vitrioli, & ſpiritus nitri adhuc cobaltum, & alias arſenici mineras; reſerat ſpiritus nitri mercurium vivum, regulum antimonii, quem etiam ſpiritus ſalis ſolvit, & quæ alia chemia docet.

BUTYRUM ANTIMONII *Offic.* Claſſis Præparatorum. Ordo Semimetallorum.

BUTYRUM antimonii eſt regulus antimonii mediante deſtillatione acido ſalis corroſus, conſiſtens, potentiſſimum cauſticum, in ponendo gangrænæ, cariei limite multum chirurgis in uſu, aliquibus etiam arcanum; interne terribile venenum. Vide *Acad.* N. C. Vol. V. Cicuratur alcalinis, oleo tartari p. d. *Acad.* N. C. Vol. VII.

De Venenis Mercurialibus vide Mercurium, Parte II. *de ſialagogis.*

CLAS-

## CLASSIS QUARTA.

# VENENORUM ALCALINORUM.

Salia alcalina in genere in fixa, & volatilia, tum priora in naturalia mineralia, vel in artificialia, dividuntur. Alcalina fixa naturalia mineralia in fontibus medicatis Egranis, Pyrmontanis, Sedlizenſibus, Spadanis, thermis Carolinis, Tœplicenſibus, aliisque demonſtrabilia, etiam ex terræ gremio eruuntur: docet minera boracis orientalis Indiæ, quæ ſal alcali fixum ſale culinari mixtum habet, POTT. *Obſerv. & animadvers. de Borace.* tum & in cellis effloreſcit, *Cl.* MARGGRAF *ſcript. chem.* p. 189. docet id aphronitrum. Hæcce ſalia alcalina mineralia, cum, aliis in his aquis nupta ſalubria, etiam ſeparata, non uti lixivioſa, vel acria ſint, vel cauſtica, in cenſum venenorum non veniunt: eductum enim ex ſale communi alcali minerale MARGGRAFIO, & alias longe ab aliis alcalinis vegetabilibus diſtinctas dotes habuit, & acre non fuit. l. c. 170.

Et in genere quidem Minerale alcali ab alcali vegetabili diſtinguitur:

I. quod acre non ſit dum cauſticam acrimoniam aliud ſemper habet.

II. quod in aere non liqueſcat.

III. quod cryſtalliſatum cryſtallos exhibeat ſali mirabili ſimillimos.

IV. quod

IV. quod cum vitrioli acido conſtituat ſal mirabile *Glauberi*, cum acido nitri Nitrum cubicum, ſal commune cum Acido ſalis.

V. quod cum acido vegetabili non faciat ſalem deliquium patientem ut terra foliata tartari ſolet, ſed cum acido aceti ſalem conſtituat medium, variis pro diverſa ratione factum cryſtallis, in aere ſiccis, in igne prioribus fixioribus, dum vegetabile acidum alcali minerali arctius quam lixivioſo nubit; tum demum cum cremore tartari ſalem exhibeat ſeignetti.

Minime tamen reticendum, quod iam dudum ſuſpicatus ſum alcali minerale etiam cauſticum igne fieri poſſe, & ſalem conſtituere in aere deliqueſcentem; utrumque nuper qui novam Chemiæ facem intulit, & vulgarem Inſtitutionum Chemicarum theoriam longe ſuperavit laborioſiſſimus MEYERS, experimentis demonſtravit: ſcilicet primas, & aliquoties purificatas ſodæ cryſtallos alcali minerale mite, parum de ſulphure ſolvere, & hoc minorem magiſterii ſulphuris, quam alcali vegetabili, quantitatem obtineri; ultimum vero inſpiſſatum & cauſticum ſodæ ſalem maiorem largiri: ſalem cauſticum purum ſodæ difficulter cryſtalliſari: inſpiſſatum in aere humeſcere, quod antequam cauſticum adderetur, in ſoda non obſervabatur, ut igitur quaſi ipſa ſalis alcali vel facilis vel difficilis cryſtalliſatio ſolubilitasque a cauſtico dependere videantur.

Alcalina fixa artificialia, etiam lixivioſa vocata, tam ex animalium, quam vegetabilium partibus, etiam ex tartaro, fœcibusque vini, ut & nitro, ſimplici combuſtione in his, calcinatione, vel detonatione in illis paranda, alcalina ab herba kali, quæ hæc maximo fœ-

nore

nore largitur, dicta ſunt, licet tamen diverſis in regionibus diverſis ex plantis conficiantur: ita ex chenopodio Hiſpani, ex meſembrianthemo Ægypti, ex ſalſola Angli, tum ex vegetabilibus fere omnibus, maiori ex his, minori ex illis quantitate, pro ſuis experimentis chemici parant, vix ulla tamen in omnibus diverſitate, ſi pura, quod ultimi ignis gradus eadem ſint producta, BOERHAAVE; quamvis in quæſtione prima, pro cathedra vacante Monſpelienſi, aliter ſtatuat *Cl.* VENEL. Atque hæcce forma vix cohærente, haud cryſtallina viſuntur; docuere tamen raræ obſervationes *Act. Moguntinorum* T. I. qui etiam in cryſtallos cogi poſſint, tum ſpiritus ſalis ammoniaci additione, tum ſimplici, ſed frequenti ſolutione colatione, inſpiſſatione. Sal alcali minerale purum ſola ſolutione & colatione cryſtalliſari poſſe iam ante MARGGRAF docuerat.

Salium Alcalinorum fixorum, ſeu ſtrictius lixivioſorum, hæ præcipuæ proprietates ſunt:

1. Sicca, inodora, acria ſunt, humeſcunt, in aere deliqueſcunt, & quadruplo fere ponderoſiora redduntur, unde ex ſpiritu vini aquam attrahunt, & in ea facile ſolvuntur, etiam pertinaciter hauſtam retinent, nec omnem in calore ebullientis mercurii dimittunt.

2. Cum oleoſis pinguibus commixta in ſaponem abeunt, peculiari tamen arte cum alcohole.

3. Etiam cum iisdem diutius digeſta, tum igni fortiori expoſita, volatilia fiunt. Convictio eſt in cineribus clavellatis, cum ſevo in vaſe clauſo tractatis: inde enim ſal volatile, quod in neutro ingredientium erat, elicitur. Simile ex omni ſale alcalino fixo, cui olei cuiuscunque duplum, vel triplum admiſcetur, ſi

ſi ſubactis ſublimatio inſtituatur, obtinetur; ita etiam volatiliſatio ſalis tartari fit, & ex quocunque ſapone aliquid ſalis volatilis per deſtillationem elicitur, WALLERIUS in HIERNE, imo ſi cum ſimplici terra tractantur olea, ſublimatione ſal volatile producitur.

4. Cum ſale ammoniaco trita, adiecta aqua calida, odorem urinoſum fundunt, *Cl.* MARGGRAF iam ex hoc criterio iudicavit, ſalem alcalinum fixum Rhinocerotis, qui illi examinandus ab Academia dabatur, ſalem alcalinum fixum non eſſe, *Acad. des Sciences de Berlin 1756.*

5. Præcipitant ſalia media in aqua ſoluta LEMERY *Ac. des Sciences 1727.* terras alcalinas in acidis ſolutas, non vero alcali minerale, contra WALLERIUM, & VOGEL, *Cl.* vir MARGGRAF *Script. Chem.* p. 171. Minerale vero id alcali æque efficaciter in priores agit, IDEM. p. 177.

6. Cum acido vitrioli in tartarum vitriolatum, nitri in nitrum regeneratum, ſalis communis in ſal regeneratum abeunt, quæ alia alcalina non faciunt: alcali nitri cum acido vitrioli arcanum duplicatum vulgo, alcali minerale ſalis cum eodem ſal mirabile GLAUBERI, alcali urinoſum cum eodem ſal ammoniacum ſecretum GLAUBERI facit. Item alcali minerale cum acido nitri nitrum cubicum, alcali volatile cum eodem nitrum flammans; alcali minerale cum acido ſalis ſal commune, alcali urinoſum cum eodem ſal ammoniacum conſtituit.

7. In igne admodum fixa ſunt, vehementiori tamen in fluorem rediguntur, & protractiori pro parte diſſipantur:

pantur: cinerum clavellatorum unciæ quatuor per quinque horas uſtæ, amiſere integram unciam, IUSTI.

8. Gummoſa reſinoſaque omnia aperiunt corpora, tum & ſulphurea, quæ tamen non diu ſuſtinent ſoluta.

9. Cum alcali ſanguinis bovini præparata varia metalla ſolvunt, ut aurum, argentum, mercurium, zincum, bismuthum, *Cl.* MARGGRAF. *Scriptis Chemicis*, ultimo etiam omitti non debet, cum calce viva cauſtica magis fieri.

Hæ principes, aliæ aliis etiam communes dotes ſunt, effervеſcere enim cum acidis terrea, lapidea, teſtacea pariter, tum ſolutiones aluminis uſti, vitrioli albi, tartari emetici, præcipitare, adhæc etiam ſyrupum violarum movere, & viridi colore inficere ſolent.

PRINCIPIA horum I. multa terra, II. paucum ſal acidum, III. phlogiſton. Primum quidem ſale tartari alcalinorum, ſi bene præparatum ſit, principe, in meram terram abeunte, in experimento manifeſtum eſt: ſcire tamen etiam iuvat, impurum ſalem tartari, in aqua pura ſolutum, evaporatione facta ſal medium cryſtallinum ſæpius exhibuiſſe CARTHEUSERO, *Acta Mogunt.* T. I. Secundum ea tentamina declarant, quæ maiorem alcali fixi quantitatem ex iis educunt, quibus copioſior acidi vis, minorem ex illis, quibus aut nulla, aut de induſtria ablata, tum & illa, quæ commonſtrant ipſum nitrum fixum, aperto vaſe carbonibus præparatum, ex ſuperfuſo oleo vitrioli fumum emittere nitroſum, WALLERIUS in HIERNE. Tertium inde petitur, quod phlogiſto deſtituta corpora alcali fixum non ſuppeditent. Cæterum proportio dici non poteſt. Diverſitas horum maxima eſt in effectibus, etiam figura, ab

ab admixtis. Sal ſodæ aquæ forti admixtum, eam in aquam regis commutare viſum; ratio quæſita eſt in ſale communi, illi, ut & aliis ſæpius immixto, & inventa.

Salia alcalina fixa in uſum medicum adhibenda, eodem modo præparata omnia, pura, parum diſtincta ſunt, ut adeo magnus horum in diſpenſatoriis catalogus ſuperfluus; ſed ne officinæ, quem intendunt, ex diverſis ſalem alcalinum fixum parant, cum acido ſulphuris vitient, & ſalem medium potius moliantur, ſapore amaricante magis, quam urinoſo cognoſcendum, & cryſtallina forma diſcrepantem: Methodo TACHENIANA facti differunt omnes, *Acta Petropolit.* T. V. GMELIN, non ideo tamen ſpecificam virtutem plantarum, unde parata, aut retinent, aut habent, IDEM.

SAL TARTARI, alcalinorum fixorum princeps, ſola tartari puri calcinatione obtentus, non illico in minima aquæ quantitate ſolvitur, licet exſiccatus in aere deliqueſcat brevi, ex eoque continuo humiditatem attrahat, dum tamen neque in eodem totus ſolvatur, remanente ſemper aliqua portione etiam in cryſtallos cogenda, quæ ad ſalem communem magis quam ad tartarum vitriolatum inclinet SPIELMANN *Inſtit. Chem.* 1763.

Solutus in aere Tartari ſal OLEUM TARTARI per deliquium ſatis improprie officinis vocatur. Hoc liquamen alcalinum ex pauca attracta ex aere humiditate exurgens, acrius longe eſt, quam illud, quod ex plurima aeris humiditate etiam exigua aquæ quantitate confectum eſt; atque id ipſum ratione virtutis & doſis huius medicamenti conſiderandum eſt, quod etiam iam olim HENCKELIUS monuerat, prius tartari oleum acre magis Pharmacopæis recommendans.

VIS MEDICA deinde dicetur.

CINIS CLAVELLATUS COMMUNIS acido vitriolico impraegnatus, ſalis medii plurimas dotes habet, pro maxima tamen parte adhuc alcalinus eſt, BOERHAAVE, NEUMANN. In ſale centaurei minoris, hyſſopi, ſalviæ, & aliorum plurium, ſal commune repertum, in ſale fumariæ tartarus vitriolatus, in ſale agrimoniæ, chærophylli, ſalis urinoſi momentum, GMELIN, tum nuper in fœniculo nitri non parum & in Cochlearia ad ſalinos lacus creſcente multum ſalis marini invenit MEYERS l. c. Salia etiam fixa animalium, ſale communi, quod cubica eorum figura demonſtrat, impraegnata ſunt.

USUS aliorum alcalinorum.

SODA pariter multum impura & variis inquinata eſt; Alexandrina optima cenſetur, hanc Alicantina excipit, ultimo Carthaginenſis loco eſt. Genuina vix unquam ſale communi libera deprehenditur, ſæpiſſimeque ferro attenuatiſſimo oneratur, ut etiam filtra cæruleo Berolinenſi gravida deprehendantur, & cryſtalli obtineantur transparentes ſaphyrinæ, dum vitrioli acore ſoda ſaturatur in ſalis mirabilis confectionem.

Ex hac per elixiviationem ſal ſodæ paratur minerale, CARTHEUSER *Act. Mogunt.* T. I. inſpiſſatione, cryſtalliſatione, cryſtallis nitidis, haſtularum triangularium figuram referentibus, KAHL *Diſſ. de Sale Sodæ.* prismatum triangularium dimidiatorum, lateribus non acutis, *Cl.* MODEL. Sal ſodæ purum, non, ut ſalia alia lixivioſa, in aere deliqueſcit, nec humiditatem ex illo extrahit, CARTHEUSER, quod ſi facit, illi ſal commune ineſt, KAHL, ſed ſolum, uti alcalium fixorum mineralium

ralium natura exigit, in materiem friabilem delabitur, IDEM, igne fixum eſt, & aucto eius gradu liqueſcit, in aqua paulo tardius ſolvitur lixivioſis aliis, & maiorem quantitatem aquæ poſcit, IDEM.

Solutum cum omnibus acidis efferveſcit, & in ſal medium concreſcit: cum acido vitriolico in ſal mirabile GLAUBERI, CARTHEUSER, KAHL, cum aliis in alia abit, cum acido aceti vaſis vitreis deſtillati in ſpeciem terræ foliatæ, ſed alcali minerali factæ, quæ vera terra foliata tartari non ſit, etiam minus acris, minus pungens, ſaporis grati cum leni amaritie, in aere non deliqueſcat, & pulveris forma exhiberi poſſit.

Sal ſodæ purum acidis iunctum ab alcalinis fixis vegetabilibus præcipitatur facile, quod minus firmiter cohæreat, KAHL. Cum ſale ſodæ, & ſale ſedativo borax regeneratur. BARON d'HENOVILLE *in Tractatu de Principiis Boracis, Cl.* KAHL *laudata Diſſert.* & ſal ſodæ æque bene, ac ſal alcali vegetabilis ſulphur recipit SPIELMANN l. c.

VIS MEDICA ſalium alcalinorum fixorum, acidum domans, in morbis ab acido utilis, glutinoſa dividens in glutinoſo ſpontaneo: eſt in hydrope eximia, SYDENHAM, qui infundit cinerum geniſtæ libram unam, libris quatuor vini Rhenani. Externo uſu ſolutio ſalis tartari fomento applicata tumoribus lymphaticis, gelatinoſis ſcrophuloſis ſæpe, lacteis ſemper profuit; etiam hic ſal tumorum venereorum verus lapis lydius inventus, LEVRET.

Interno uſu ſal ſodæ aliis præferendum, lentius agit, & pulveriſari poteſt: doſis gran. quinque, decem, quindecim.

decim. Tinctura ſalis tartari in torminibus tenellorum ab acido, ad convulſiones usque increſcentibus, ad guttas ſex in lacte nutricis data, habetur anodyna DETHARTINGINIO *Ephem.* N. C. Eadem cum balſamo copaivæ maritata digeſtione, egregia in calculo & renum affectibus inventa: ſic ſi tincturæ tartari unciæ uni ſemis, balſami huius drachmæ tres ſenſim inſtillentur, digerantur, & guttæ octo ſumantur, mira ſæpe præſtat *Ephem. Decad. 3.* Anno 3.

Alcali fixum purum, venenum eſt rodens, cauſticum, inflammans, calce viva paratum acerrimum, venis ſuſceptum ſanguinem diſſolvens, & in putredinem diſponens. Salus ab acidis, oleoſis. Sal tartari cum tripla copia calcis vivæ factus, in aquæ ſtillatitiæ florum roſarum, aut ſambuci &c. tali quantitate ſolutus, ut ſolutio guſtata nullum linguæ dolorem faceret, vel notabilem ſaporis moleſtiam, pulchri contra podagricos tophos, & exoſtoſes, & alios difficiles tumores, effectus inventus L. B. van SWIETEN, *Comment.* T. IV.

SALIA ALCALINA VOLATILIA, etiam urinoſa dicta, e triplici naturæ regno, vel putrefactione, vel igne elicienda in noſtros uſus, a prioribus ratione principiorum haud diſtincta ſunt; horum enim ſola eaque a prioribus recedens proportio, eam, quæ tum a mobilitate, aliis proprietatibus, & effectibus dependet, varietatem inducit: experimenta dicta ſunt, nec tædioſa probatione opus, alcalina volatilia maiorem vim oleoſi principii, fixa terrei habere.

Ex animalium omni parte putrefactio & ignis, ex vegetabilium omnis putrefactio, raro ignis, ex mineralibus ignis fere ſolus ſal volatile producit. Inſitne natu-

naturaliter quibusdam ſubſtantiis vegetabilium? hi affirmant, alii negant; fracta ſinapi ſemina ſalem volatilem alcalinum ſpirant, cum aceto acerrimo trita effervescunt, BOERHAAVE, ſed etiam ſedi minoris ſuccus ſine igne volatilis ſalis alcalini indicia præbet, WALLERIUS in HIERNE, iſatis absque ignis adminiculo ſola fermentatione ſalem volatilem largitur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1717.* Eadem in ſanguine, urina, ſale foſſili ammoniaco, eſſe principia naturaliter, eſt in omnium experimentis.

In ſalibus alcalinis volatilibus etiam id, quod in alcalinis fixis, mirabile; ex diverſiſſimis enim ſubſtantiis, diverſis etiam præparationibus, iidem ſunt, nulla differentes nota, ſi ſublimatione defæcati, ut alcali volatile tantum unum, in rerum natura, quoties ſincerum; quod in quæſtione pro cathedra vacante propoſita, *an alcalina volatilia, e quacunque ſubſtantia eliciantur, ſint una eademque ſubſtantia*, etiam aſſumpſit *Cl.* ESTEVE. Unde officinarum multiplex in ſpiritibus, ut & ſalibus volatilibus peccatum, venia tamen dignum, quod exquiſitam *Cl.* GEOFFROY, & BOERHAAVE rectificandi methodum non adhibeant. Sal volatile ammoniaci omnium volatilium puriſſimum eſt, etiam fixa volatiliſans.

Specificæ horum volatilium dotes ſunt:

1. Quod volatiliſſima, etiam calore corporis fugacia reddantur.
2. Acidis mixta non ſal ſalſum, ſed volatile conſtituant.

3. Solutum mercurium ſublimatum in aqua, in pulverem album præcipitent puri, impuri in rubrum.

4. Solutionem cupri cæruleam reddant.

5. Olea ætherea in ceræ conſiſtentiam fere cogant.

Cæterum vi ignea, cauſtica, exulcerante, infamia, aſſumpta, diluentia, oleoſa, terreſtria, pinguia, acida poſtulant; diluta vero etiam medicamentoſa evadunt, ſudorifera, ſtimulantia, diſcutientia; quanquam humores lymphaticos gelatinoſos coagulent, *Acad. de chirurgie de Paris.* T. I. Sunt in gangræna ſphacelo venenata, PRINGLE *experiments upon ſeptic and antiſeptic Medicines.* ſpecifica in morſu viperarum *Acad. des Sciences 1747.* forte etiam in rabie, LE CAMUS. DARLUC, *Iournal de Medicine &c.* T. XIV. Avril. 1761.

USUS MEDICUS in affectibus ſoporoſis, apoplexia, aſthmate, aliis etiam morbis pituitoſis, paralyſi, convulſionibus, ab iisdem cauſis ortis, proficuus: item in omni cauſa acida; ſic & in podagra ab hac labe laudat WINTRINGHAM *Works London 1752.* T. II. *de Podagra, latine.* doſi exigua, cum vehiculo aqueo largiori ſemper, data, in eodem morbo ab hac cauſa dudum *Illuſt.* L. B. van SWIETEN exhibuit granor. VI. doſi in theato Saſſafras, omni mane bene tectis pedibus.

Sunt etiam, qui in ſcorbuto ſalia alcalina volatilia adeo ſpecifica habeant, ut corticem peruvianum in febribus, ſulphur in ſcabie, Mercurium in lue venerea. *Gazette Salut. 1762.* Nro. XLIII. ſed quia hæc ſententia non omnibus recepta eſt nec in omni ſcorbuti ſpecie recipi poteſt, de hac hic ulterius nihil dicemus.

Cæ-

Landesbibliothek Oldenburg

Cæterum diverſa ſalia alcalina volatilia diverſis doſibus dantur.

Salis ammoniaci volatilis a granis duobus ad ſex, aliorum impuriorum ad grana quindecim in vehiculi unciis tribus quatuorve doſis eſt; ſpirituum vero, ut ſalis ammoniaci, a guttis duabus ad guttas decem, aliorum paulo maior: Oleoſorum balſamicorum, quod ſtimulantiora, longe iterum minor, ut ſalis oleoſi SYLVII, & ſimilium: oleoſo-acidorum vero, ut liquoris cornu cervi ſuccinati, guttarum decem, quindecim, viginti, triginta, liberalior. Externe etiam naribus admoventur excitandi fine.



Landesbibliothek Oldenburg

## CLASSIS QUINTA.

# VENENORUM DRASTICORUM.

AES ſeu CUPRUM *Offic. Mineralogorum.* Ordo Metallorum poſt ignitionem liqueſcentium W. *German.* Kupfer. *Gallis* Cuivre. *Anglis* Copper.

CUPRUM *metallum eſt imperfectum coloris rubri, ſonorum, ferro mollius, admodum ductile, in omnibus fere menſtruis ſolubile, in aere, aqua, ſpiritibus, ſuccis, oleis preſſis*, quale memorabile exemplum *Cl.* MONTET *Acad. des Sciences 1750.* ut viride æris obtinuerit; patet etiam oleis ſtillatitiis, ſalibus alcalinis, acidis, & mediis, ut non immerito chemicis venus dicatur. Inter omnia tamen menſtrua, quod præſentiam cupri indicet nullum eſt, quam ſal alcalinum volatile cum aëre agens; experimentum attentione dignum eſt, ſi limaturæ æris phialæ inditæ ſuperfundatur ad plenitudinem ſpiritus ſalis ammoniaci, vaſque claudatur, ſpiritum nullo colore infici, aperto vaſe, demptaque ſpiritus aliqua portione, reliquam maſſam illico cæruleſcere; aliud phænomenon itidem ſatis curioſum eſt, cuprum acido ſolutum præcipitari ſalibus alcalinis exigua quantitate additis, maxima minime. Ratio adeo evidens, ut dici non debeat.

Inter reliqua vero metalla ferrum & cuprum hoc habent, quod dum una pars limaturæ horum, cum duabus ſalis ammoniaci miſcetur, & igne urgetur, ut in con-

confectione florum ſalis ammoniaci martialium, & entis veneris obvenit, una ſaltem, licet minima ſalis ammoniaci portio in ſpiritum fugacem, & cauſticum ſalis ammoniaci concedat, ut addita calce ſolet; ratio genuina non ſatis laudando MEYERS dicta eſt, dum VOGELIUS ſolum phænomenon recenſeret, nec rationem indigitaret. Cæterum inter manus tritum cuprum etiam odorum, & ſapidum eſt, præ aliis metallis maxime ſonorum, poſt aurum & argentum maxime ductile & malleabile, quod ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum nonam fere ſui ponderis partem amittat.

PRINCIPIA ſunt

1. Vitreſcibilis brunno-rubra terra, ſpecifica cupri vocata: convictio eſt in experimento ſpeculi uſtorii ſolaris.

2. Phlogiſton. Calx æris addito phlogiſto in verum æs reſuſcitata documento eſt.

3. Principium mercuriale, quod hydrargyrum ex hoc ſemper elicitum, multi ſtatuunt, an evictum?

Venenata vi infame ab uſu medico ſemper remotum fuit: Artifices hoc metallum tractantes aſthmate, phthiſi obnoxii deprehenduntur, quin in uſus domeſticos vaſa ex cupro confecta ſtanno obducuntur, ne adeo facile ſolubilis ſalibus venus rodatur, noxiaque evadat. Horrendas ab hac ſtrages omnes recenſent: poſtremo damnavit QUELMALZ, & noviſſime eius noxas narrat COSNIER *Recueil periodique* T. III. & demonſtravit *Cl.* TRAVIS cuprea vaſa præcipuam in navibus ſcorbuti cauſam exiſtere, licet vaſis cupreis utentes metu liberare iam voluerit LEMERY *Acad. des Sciences*, tum nuper *Cl.* ELLER *Acad. de Berlin.*



Landesbibliothek Oldenburg

Etiam raſuram cupri ad grana decem panis fruſtulo, cui butyrum eſſet illinitum, inſperſam, & per tres continuos dies aſſumptam in morſu canum rabidorum, hydrophobiam arcere absque noxiis ſymptomatibus medicamenti, vidit *Cl.* COTHENIUS, dummodo læſio ante tres horas accidiſſet.

Ex cupro Adeptos efficaciſſima remedia paraſſe *Illuſt.* L. B. van SWIETEN aſſerit, artemque ſolam in eo eſſe, ut quodam menſtruo, vel peculiari encheireſi, educatur ex cupro medicamentum, quod emeticum non ſit, valide tamen corpus commoveat. Recenſet talia in chemia BOERHAAVE, recenſent & alii. Dum granum vitrioli Cupri in uncia media aquæ ſolutum per nares attraheretur, inſecta, in ſinubus frontalibus nidulantia dolores ſævos, & vertiginem moleſtiſſimam producentia, enecta, & expulſa fuiſſe, vidit L. B. van SWIETEN *Comment.* T. IV.

Ens veneris BOYLEI, ſunt flores ſalis ammoniaci venerei, ſeu ſulphur anodynum vitrioli. Tincturam veneris cum ſale alcalino factam ſumme aperientem, & diureticam, a guttis tribus ad viginti quatuor in oxymelle exhibitam, hydropicum curaſſe, NEUMANN, etiam externe adhibendam in gonorrhœa, cum præcautionibus infallibilem, QUINCY.

PRÆPARATA ſunt

CALX ÆRIS ſeu CALX VENERIS vel CROCUS, eſt æs in calcem metallicam, vel in furno reverberii ſimpliciter, vel adiumento ſulphuris, vitrioli, ſalis marini, in crucibulo magno igne exuſtum.

USUS

Landesbibliothek Oldenburg

USUS internus, licet DIOSCORIDI laudatus, ſuſpectus: externus ad reprimendam luxuriantem carnem, ad abſumendos fiſtularum callos, ad ſtringendum plorans ulcus, adiectis aliis ſtipticis utilis, & forma unguenti commodus.

AERUGO calx eſt æris per acidum vegetabile corroſi, atque hæc factitia eſt; eſt enim & nativa alia, cuius non ſatis cognitum menſtruum ſit.

USUS externus idem eſcharoticus ingreditur unguentum ægyptiacum, viride apoſtolorum, Felic. Wurtzii: ſed etiam contra luem veneream laudatam æruginem invenio *in Ephemeridibus* N. C. *Centur.* VI. Fit ex æruginc, improprie dicta *ærugo deſtillata*, ſeu ſal veneris, dum ærugo ſoluta, inſpiſſata, ad cryſtalliſandum reponitur. Ex his cryſtallis ſpiritus æruginis ſeu *acetum eſurinum* deſtillatur, particulis venereis, quod ſedimentum demonſtrat, dives, miris laudibus elatum, etiam contra epilepſiam laudatum *in Diſpenſatorio Brandeburg.* Sunt adhuc *flores* æris, *ſquamma* æris, æs *granulatum*, hodie haud uſitata præparata.

AQUÆ CUPREÆ per ſe venenatæ ſunt.

ANTIMONIUM ſeu STIBIUM *Off. Mineralogiæ* Claſſis Naturalis Minerarum. Ordo ſemimetallorum. *Germ.* Spieſglas. *Gallis* Antimoine. *Anglis* Antimony.

STIBIUM fibris capillaribus ſeparatis, ſemimetallum eſt friabile, ponderoſum, igne volatile, rapax; factitium omne eſt, quod in uſus noſtros adhibetur, licet & naturale ſit. Quod vitrum largitur pallide flaveſcens, non hyacinthinum, ferro mixtum eſt, quale hodie

hodie ex Arvennia habetur, *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences 1751.*

PRINCIPIA. I. Sulphur. II. Pars metallica regulina: Primum quidem, quod prunis inſperſum antimonium odorem, & flammam ſulphuris communis præbeat: in aqua regis ſolutum verum ſulphur exhibeat: combuſtum ſpiritum largiatur acidum, ſpiritui ſulphuris per campanam ſimillimum, *Acad. des Sciences*, tum quod ſulphur vulgare regulo additum in fuſione iterum regeneret antimonium, ſatis ſuperque demonſtratum habetur. Verum ſulphur hoc a vulgari ſulphure vix diverſum eſt, BOERHAAVE. HOFFMANN. GEOFFROY.

Alterum principium regulus oſtendit. Sed adhuc ipſe regulus ſuo gaudet ſulphure metallico, quo ſi in integrum ſpoliatur, iners, non amplius virulentus eſt, actuandus tamen de novo addito phlogiſto, & adeo virulentum & emeticum iam conſtituens pharmacon, quam ille, qui nunquam calcinatus fuit. Eſt hoc phlogiſton, quod regulum facit, antimonio malleabilitatem tollit, & eius naturam velat. Quodnam metallum regulum Antimonii conſtituat? huc usque dici non potuit.

Calcinatus lente ſolari antimonii regulus pondere augetur *Acad. des Sciences 1666.* etiam augetur igne chemico, *Cl.* GMELIN in *Actis Petropol.* T. V. ita tamen, ut ultimo dubitet IDEM. Sed etiam in diverſis operationibus pondus diverſum eſt, *Cl.* SECONDAT. *Obſer. de phyſique & d'Hiſtoire Naturelle.* Quæſita phænomeni ratio eſt, nondum inventa. In bilance hydroſtatica ſe habent gravitates ſpecificæ aquæ, & reguli

Landesbibliothek Oldenburg

guli antimonii non calcinati, ut 1000 ad 6200. aquæ & reguli calcinati, ut 1000. ad 4428. hinc gravitates ſpecificæ reguli non calcinati, & calcinati, ut 6200. ad 4428. IDEM. Verum etiam aliis phænomena diverſa viſa: antimonio igni expoſito ſolenne eſt decrementum pati. *Cl.* VOGEL in programmate *de incremento ponderis corporum calcinatorum Goettingæ 1753.* Repetenda experimenta ſunt.

Sed eſtne antimonium crudum venenatum? purum uſtulatum allii odorem non habet, HUXHAM. Antimonii crudi pulvere, ſe ſe rheumatismo, & quartana liberavit KUNKELIUS, in paralyſi, podagra, fluore albo, ſcabie, hodie alii feliciter exhibent, & in doloribus rheumathicis, arthriticis iſchiadicis, ſcorbuticis, antimonii effectus miratur *Clar.* COHAUSEN, & vidit HEINSENIUS *Nov. Act. Acad.* N. C. Vol. I. Contra ſcabiem ſuum, & cancrum armentorum, farinæ hordei remixtum, linguæ impoſitum, & loco affecto applicatum PROMPTUAR. HAMBURG. T. X. & ſanguinem purificare, & equos pinguefacere *Transact. Philoſoph.* Nr. 39. Teſtatur etiam HUNDERTMARK, antimonii crudi in curanda arthritide, ſi corpus bene præparatum fuerit, ſtupendam quandam, & quam vix quis niſi ipſe expertus, crederet, eſſe vim atque efficaciam, præcipue, ſi id cum calce certa quadam coniunxeris, eiusdemque per aliquod tempus continuaveris uſum; ſed cur arcanus? Adhæc innocuum BOERHAAVE, HOFFMANN, dicunt, etiam drachmæ unius pondere pro doſi HUXHAM. Arſenicale antimonio principium ineſſe, eius virulentiam inde dependere, demonſtratione aſſerentibus probandum.

Eſt tamen ubi ſummæ virulentiæ effectus edit, acido in primis viis ſtabulante ſolutum, unde ex pruden-

tia

tia minimam doſim, eamque adhuc triplo aut quadruplo abſorbentium pondere temperatam, primo præſcribendam PARISIENSES contendunt, experimento & periculo *Cl.* MALOUIN, qui antimonii crudi in vino digeſti ſolutione auſtera, deguſtata vexatus fuit. Præſcribitur etiam absque abſorbentibus cum aliis; ita minimis doſibus cum cortice Winterano feliciter datur, COHAUSEN.

Solvaturne in aquoſis, multa diſputatio. Principia deſunt, & neſcio an ſurrogata in decoctis præſcribentium ſatis fida obſervatio? Sed compulſis experimentis, veritas patebit: In decocto exhibendi antimonii crudi modum experimento improbavit MENGHINI in *Comment. Inſtit. & Acad. Bonon.* T. II. P. II. aqua enim ad tertiæ partis conſumptionem cum antimonio cocta tantum pauxillum terræ calcareæ, nihil ſulphuris continebat. Aqua ſolvit nihil, ſolvit nihil ſpiritus, HUXHAM. Saponacea plantarum aciditas in ambo principia agit, & levem tartarum emeticum extrahit, IDEM, etiam aqua pluvia, tum fluviatilis, in calore moderato digeſtionis, cum antimonio lacteſcit, & ſulphur ſapit, IDEM. Sic quæſtio iudicata eſt. Quid? quod cum aqua diu tritum, agitatum antimonium, ſalem dederit acidum, *Chymie Hydraulique.*

USUS MEDICUS a minima doſi incipiendum præcipit, grana exhibens tria, quatuor, ad decem, viginti, cum lapidum cancrorum ſcrupulo, drachma ſemis: Valet in ſcabie, gonorrhœa, arthritide, morbis ſaturninis &c. in petia ligatum ſuſpenditur in decoctis antivenereis, HOFFMANN.

PRÆ-

## PRÆPARATIONES.

ANTIMONII VITRUM, antimonii calcinati cinis eſt, in vitrum fuſus, vehementiſſimum emeticum, quod cum vino digeſtum aqua benedicta RULANDI audit, addito ſaccharo inſpiſſatum ſyrupus emeticus ANGELI SALÆ. Aquæ huius benedictæ doſis a drachma una, duabus, ad unciam ſemis. Eſt eadem ſyrupi.

Hoc vitrum antimonii hyacinthinum colorem a ſulphure habet, quem in foco ſpeculi uſtorii calcinatum perdit, & innocuum evadit antimonium diaphoreticum HUXHAM. Tum ex vitri antimonii pulvere, cum oleo vitrioli fumante & aceto frigore concentrato, acetum lithargyrii, quod alteri compoſitioni ex ſulphure aurato antimonii, primæ, & ſecundæ præcipitationis, cum oleo papaveris ad ſufficientem ſolutionem cocto, ſeparatis, cum emplaſtro diapompholigos mixtis, unguentum nutritum confecit cancroſis utile *Cl.* IACOBI *Nov. Act. Acad.* N. C. Vol. I. Cicutæ extractum ſimplicius eſt.

ANTIMONII VITRUM CERATUM, paratur, dum ceræ flavæ drachmæ uni in cochleari ferreo fuſæ uncia una vitri Antimonii in pulverem tenuiſſimum redacti, additur, & totum leni igne liquatur, & ſpatula continuo actum per ſemi horam in pulverem tabacæ hiſpanicæ æmulum redigitur. In operatione nec ad ignis gradum attendendum, nec ad tempus reſpiciendum eſſe YOUNG, non bene.

USUS MEDICUS in dyſenteriis omnibus ſpecificus, omni ætati, conditioni, etiam prægnantibus, & pueris utilis: lactantibus, doſis granum ſemis, trium,

aut

aut quatuor annorum pueris, grana duo, tria, *Society of Edimburgh*, infantibus grana quatuor, adultis quinque ad decem, duodecim *ibidem*. Sed lactantibus, & aliis infantibus, cum circumſpectione exhibendum, hi enim acido ſæpius laborant. Difficile etiam admodum in aliis rectum doſeos punctum aſſequi, PRINGLE edixit. Effectus violentos, & cautelas lege in *Actis Edimburg.* Ignorari vero non debet lapidum cancrorum pulverem huic additum violentos effectus plerumque præcavere, ſicque tutiſſime in dyſenteria exhiberi, nilque duarum triumve horarum ſpatio ſuperpotandum eſſe, eſſe etiam ab omnibus acidis maxime abſtinendum, hinc etiam admodum male cum oximelle dari, brevi nauſeas, vomitum facturum non criticum.

In officinis aſſervatum de novo haud terendum, HUXHAM, nec cum aliis multum comminuendum, IDEM. Saccharo tamen, quod conſtanter admiſcet, vim antimonii temperari, ſuſpicatur *Cl.* BASTER *Comment. Societ. Scient. Harlemens.* p. II. In aliis morbis adhuc varii varie laudant, ad omnes alias evacuationes GMELIN, in hæmorrhagiis quibuscunque GEOFFROY *Acad. des Sciences 1745.* in colica Pictonum IDEM. Nuperrime etiam in epilepſia, & mania tentatum, cum ſucceſſu quinquaginta vicibus exhibitum, *Gentleman's Magazine*, & quinque granorum doſim catharri ſuffocativi paroxyſmum ſuſtuliſſe obſervavit *Illuſtr.* BUCHNERUS *diſſert. inaugur. de viribus vitri antim. cerati 1757.*

ANTIMONII REGULUS ex antimonio, vel per ſe ſola fuſione, vel ſalibus fuſoriis additis factus, duplex, prior ex ſola præparatione nomen habet, al-

ter

ter a figura ſtellatus audit. Uterque potenter emeticus, aceto adhuc actuandus. Fiunt ex aliis antimonio additis, reguli alii: addita limatura ferri cum nitro martialis, ſtanni cum nitro iovialis, & his commixtis regulus metallorum, adiecto vero ſale communi cum ſale tartari medicinalis, vix certæ omnes efficaciæ. Regulus martialis de marte habens nihil, edulcoratus diaphoreticum martiale LUDOVICI audit, haud prioribus præſtantius. Similem proponit *Cl.* HUXHAM, ex antimonii puri partibus duabus, limaturæ ferri parte una, nitri puri parte fere una; ſcorias pulveratas edulcoratas efficaces habet in fluore albo & leucophlegmatia.

ANTIMONII HEPAR ex antimonii crudi, & nitri anaticis portionibus per detonationem exurgit. Hoc hepar edulcoratum, ſiccatum, CROCUS METALLORUM, ſeu terra ſancta RULANDI, audit, non ſemper bene præparata, ut tuto exhiberi poſſit; hinc in tanta præparatorum antimonialium incertitudine, longa edoctus praxi vinum emeticum ex puro elicitum vitro præfert HUXHAM, quod ſequenti modo faciendum ſuadet: Bene præparati vitri antimonii uncia una pulverata, infundatur libris duabus boni vini Hiſpanici albi calidi, digerantur decem, duodecim diebus, interdum concutiantur, ultimis diebus ſubſidentibus partibus, decantetur vinum, per chartam emporeticam coletur, vaſe clauſo ſervetur. Doſis pro infantibus unius, duorum annorum, a guttis decem ad triginta, pro adultis uncia ſemis, una, ad duas, ſcopo vomitorio; alterante vero, aperiente, & ſudorifero, adultis a guttis triginta, quadraginta, ad ſexaginta in ſero lactis, potu theiformi, idque bis vel ter de die in morbis cutaneis, inteſtinorum, viarum urinæ, &



Landesbibliothek Oldenburg

nervorum, præcipue in ſcorbuto frigido, aſthmate, leucophlegmatia, ictero, cephalalgiis rebellibus, vertigine, epilepſia, mania, febribus intermittentibus tergiverſantibus, catarrhalibus, etiam inflammatoriis, pulmonum ſuppreſſis ſputis, felici cum ſucceſſu ſæpius exhibuit Anglorum Æſculapius. Reiterata Viennæ experimenta ſunt, infuſione facta in vino Tocavienſi, ſcopo alterante guttæ ſex datæ, & hæ ſatis efficaces inventæ: nonne in vinis eſt differentia? etiam vis emetica increſcit pro tempore, quo infuſio potrahitur, BRADLEY *a Courſe upon the Materia Medica.*

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM detonante tripla parte nitri ſupra unam antimonii producitur. Vera reguli antimonii calx nitro facta, & nitroſo ſale impraegnata, quæ ſi non abluitur, edulcoratur, ſtibium diaphoreticum, non ablutum audit, ſin contra, antimonium diaphoreticum, non abluto ignavius longe, quod lixivium evaporationi, & cryſtalliſationi traditum, præter alia manifeſtius docet, cum cryſtallos ſuppeditet nomine nitri antimoniati notas: Ne ideo tamen omnimode effœtum, quod acido nitri ſale adhuc dives inveniatur, atque id ipſum clarius huius cum duabus ſaponis nigri partibus detonatio, flammaque *Acad. des Sciences*, auctum compoſiti poſt edulcorationem pondus, MEUDER, tum ex inſtillato vitrioli oleo rubri vapores *Cl.* VOGEL, declarant, obſervationes etiam practicæ confirmant. An ab aere arcendum antimonium diaphoreticum? qui vim emeticam illi conciliare perhibetur, BRADLEY *a Courſe of lectures upon the Materia Medica*, rara obſervatio!

An-

Antimonium diaphoreticum purgantibus mixtum, ſenſibiliter horum vires acuit, manifeſto in pulvere cornachini argumento, BOERHAAVE, abſorbens eſt IDEM, & diaphoreticum: doſis à granis decem ad quadraginta. Stibium diaphoreticum non ablutum incidens, expectorans, in glutine pulmonum utile, & in morbis cutaneis non ſpernendum. Doſis a granis decem ad triginta, etiam maior.

ANTIMONII AETHIOPS *Cl.* HUXHAM fit ex crudi antimonii tenuiſſime pulveriſati tribus partibus, depurati argenti vivi quatuor, & florum ſulphuris partibus duabus, in tenerrimum pulverem commixtis; laudatur in morbis cutaneis, obſtructis colli glandulis, defluxionibus. Doſis eſt a granis decem ad quadraginta.

TARTARUS EMETICUS diverſis in locis ex diverſis antimonii præparatis confectus, ex croco metallorum, & cremore tartari apud nos, operatione non in integrum probata, quod adhuc calidus liquor filtretur, & ad cryſtalliſationem reponatur, paratur. Cæterum ope cremoris tartari, & croci metallorum paratum, optimum putat *Cl.* ESTEVE in *Quaeſtione* IV. *pro vacante cathedra Monſpelienſi*, ſed ſolum ad ſiccitatem evaporandum, non vero cryſtalliſandum, quod imbecillior longe fiat, ſuadet IDEM. Sed etiam non cryſtalliſatus in aere quandoque humeſcere ſolet, quod non leve incommodum.

Reguli in diverſis tartaris emeticis quantitatem reſuſcitatione docuit in *Acad. des Sciences* GEOFFROY. Tartari emetici debiliſſimæ virtutis unciam unam, reguli drachmam unam, & grana octodecim, mediæ

virtutis drachmam unam cum ſemiſſe, maximæ drachmas duas, & grana decem continuiſſe viſum, ut regulinæ partis in tartaro emetico doſis pateſcat.

Sed adhuc alia operationis momenta ignorari non debent; vitrum antimonii in pulverem impalpabilem redactum abundantius ſolvi groſſiori, BAUME *Iournal de Medecine* &c. *Avril 1761.* libras duas cremoris tartari ſolvere ex anatico pondere impalpabilis pulveris vitri antimonii, uncias viginti tres & drachmas ſex, & ſuppeditare uncias tres ſulphuris aurati, IDEM. Longa nimis ebullitione tartarum emeticum inertiorem reddi, HOFFMANNUS: Tartarum emeticum ebullitione antimonii crudi cum cremore tartari tentari poſſe, & ſic confectum debilem admodum eſſe, GEOFFROY, in vaſe ferreo excoctum deliqueſcere, vix cryſtalliſari, contra vero in vaſe argenteo, BAUME; anaticas partes cremoris tartari & vitri antimonii aquam viridem efficere, deficiente una citrinam fieri, IDEM. Noſtratibus doſis granum unum ad tria per ſe, actuandorum aliorum cauſa granum ſemis, unum, adjicitur.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII, nihil aliud eſt, quam ſulphur antimonii alcali ſolutum, acido præcipitatum, regulo dives, idque obtinetur detonatione hepatis antimonii ex nitri, & antimonii æqualibus partibus conflati, vel ſcoriarum flaveſcentium reguli antimonii ſimplicis coctione, & præcipitatione per acetum, & id quidem ſulphur antimonii auratum primæ præcipitationis vocant; dum vero denuo inſtillato aceto demittitur pulvis, is præcipitationis ſecundæ, & ſic porro habetur.

Primæ,

Primæ, & ſecundæ præcipitationis ſulphur auratum, violenter emeticum, tertiæ vero mitiſſimum, deprædicant in catarrho ſuffocativo præſtantiſſimum, licet tamen etiam primæ præcipitationis tale confecerit ex regulo, nec vomitorium, nec purgans BRENDELIUS, & huius quidem encheireſis cardo in eo verti dicitur, ut ad confectionem reguli antimonii parva nitri quantitas ſumatur, prioribus rebus non commiſceatur, ſed his ſuperinjiciatur. Repetenda experimenta ſunt, & quærenda inventorum ratio.

Cæterum virtus ſulphuris antimonii aurati antivenerea probata in *Ephemerid. Acad.* N. C. KLAUNIG, & ſulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis multum UNZERUS *Biblioth. Raiſon.* in catarrho ſuffocativo, in ſpaſmis, convulſionibus, hypochondriacorum hyſtericarum, in tuſſi infantum, in febribus intermittentibus laudat.

Ex ſulphure aurato antimonii, & calomel multoties ſublimato alterantem ſuum pulverem in porrigine capitis, aliis morbis cutaneis, faciei, bubonibus, gonorrhœa, gran: quindecim de die partitis doſibus utilem, componit *Clar.* PLUMMER *Society of Edimburg.* T. I. in iſchiade pertinaci, & morbis ex impuris, & viſcidis humoribus *Nova Acta Acad.* N. C. Vol. V. laudant; non minoribus ornatur encomiis a *Cl.* WERLHOFF in *Act. Medic. Edimburg. ſpeciminibus duobus, Hanoveranae 1735.* ſed minori doſi dandum monet, a grano uno ad tria pro doſi, continuato per plures hebdomades uſu, additis etiam pro re nata aliis, ſiquidem maiorem ſulphuris antimonii doſim facile vomitum, calomelitis continuati ſalivam ciere dudum expertus ſit; adhæc iam *Illuſtriſſ.* HU-

GONEM tineam chronicam, achores, ſcrophulas, ſimili medicamento ex ſuccino, exigua doſi mercurii dulcis, & ſulphure antimonii GLAUBERI, curaſſe, ita etiam martialia cum ſulphure antimonii miſcuiſſe HOFFMANNUM, & auctam horum efficaciam in morbis chronicis adinveniſſe, *Diſſert. Epiſtolari Actis nexa* p. 26. monet IDEM.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII liquidum in *Actis Acad. Mogunt.* T. I. præparatum eſt, quod in leproſo profuiſſe dicitur.

KERMES MINERALE alias etiam pulvis carthuſianorum, eſt ſulphur antimonii auratum, alcali ſolutum, ſola ebullitione paratum, ſulphuri aurato antimonii ſimile, licet alia operatione paratum, HUXHAM: obtinetur, ſi antimonii crudi una pars, olei tartari p. d. una quarta, & duplum aquæ pluviæ per duas horas ebulliant, filtrentur, & de novo eadem quantitas aquæ & nitri fixi addatur, GEOFFROY *Acad. des Sciences.* Totum antimonium fere in kermes redigi poteſt, IDEM, & poſt ſeptuaginta octo vices adhuc extraxit IDEM, quod etiam repetens experimentum *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, ad finem demum perducere non potuit ita, ut nullum amplius kermes obtineret, ut ex facili in *Quaeſtione* VI. *pro Cathedra Medica Monſpelienſi vacante: an tota ſubſtantia Antimonii in Kermes Minerale verti poſſit?* affirmet *Clar.* ESTEVE. Drachma una ſic præparati, & edulcorati kermes mineralis continuit ſedecim, ſeptemdecim grana reguli, tredecim, quatuordecim grana ſalis alcalini, quadraginta, & quadraginta unum ſulphuris communis, in experimento *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences.* Maiori quantitate reguli imprægnatum, violentius emeticum,

Landesbibliothek Oldenburg

ticum, coctione rectificandum in phiala ampla, nova aquæ, & olei tartari per deliquium doſi, IDEM; poteſt etiam kermes minerale fuſione parari, IDEM.

USUS MEDICUS in glutinoſis, pituitoſis, pulmonum affectibus, univerſalis, in pleuritide, peripneumonia ubi aut lentius ſputa procedunt, aut ſuppreſſa ſunt, in tuſſi ferina infantum cum ſpermate ceti eximius, in morbis cutaneis, aliisque ex emunctoriorum obſtructione ortis, in ipſis febribus autumnalibus, chronicis, HOFFMANNUS, ſunt, qui etiam in epilepſia, & ſpaſmodicis affectibus, vel a glutinoſo, vel a dyscraſia ſanguinis exortis, plurimum deprædicent: Infantibus granum unum cum lapidum cancrorum ſcrupulo uno, in tres doſes dividitur, etiam mellis unciæ ſemi immiſcetur, & de die propinatur: pueris eadem doſis bis de die datur. A granis duobus ad quatuor conceditur adultis, & diei naturalis ſpatio triginta ſex grana pleuritico dedit LEMERY filius: ſi vero kermes nauſeas facit, oleoſis, anodynis, balſamicis temperatur, quibus ſemper maritandus, HUXHAM. Scopo autem diaphoretico in morbis cutaneis omnium optime in vehiculo calido theiformi matutino tempore datur, HOFFMANNUS.

Verum adhuc ſcire iuvat a minori ſemper doſi incipiendum; variat enim multum medicamentum pro varia præparatione, HUXHAM, abſtinendum ab acidis decoctis, vel aceſcentibus, IDEM. Kermes mineralis drachmam unam cum farinæ liquiritiæ viridis optimæ drachmis ſex, exacte miſcet, & hunc pulverem granorum viginti, ad viginti quinque doſi, omni trihorio,

aut quadrihorio exhibet, & laudat in *Comment. Societ. Scient. Harlemenſ.* p. II. *Cl.* BASTER.

TINCTURÆ ANTIMONII variæ diverſis in officinis uſitatæ, nobis illa ZWOELFFERI ſolum habetur.

FLORES ANTIMONII cum ſale ammoniaco factos, in potu aquæ ſimplicis, per intervalla adhibito nitro antimoniato cum radice hellebori nigri, rabioſos plurimos ſanare, STEURLINUS *Ephemerid. N. C. Cent. I. Obſerv.* 84.

CLAS-

## CLASSIS SEXTA
# VENENORUM MECHANICORUM.

Quæ acutis ſuis ſuperficiebus ſolutionem continui efficiunt, parteſque deſtruunt, venena mechanica dicuntur.

ADAMAS *Offic. Mineralogiae* W. Claſſis Naturalis Lapidum, Ordo Gemmarum. *Germ.* Demant. *Gallis* Diamant. *Anglis* Diamand.

Nullis remediis emendari rigidiſſimum hoc venenum poſſe, quod THEOPHRASTUM PARACELSUM e medio ſuſtulit, diſcipuli aſſerunt; primum quidem verum, poſterius forte dubium cenſeri poteſt. Alia exempla haud exſtant.

ALUMEN PLUMOSUM.

CRYSTALLUS MONTANA *Offic. Mineralogiae* W. Claſſis Naturalis Lapidum. Ordo Gemmarum. *Germ.* Bergkryſtal. *Gallis* Cryſtale de roche. *Anglis* Cryſtal.

Groſſiuſcule contrita vulnerat, in pollinem redacta innocua eſt, MONTI proprio experimento; præpa-

rata inutilis; laudat tamen contra infantum epilepſiam CRUGERUS *Ephemerid. Acad.* N. C. violenter calcinata acidum bibit, quod igne non vexata reſpuit, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1746.* Sed neque obſervare primum MONTIUS potuit *Bononiens. ſcient. & art. Inſtitut.* T. I. An tanto molimine quærendum remedium abſorbens?

VITRUM *Offic.* Claſſis Naturalis Artefactorum. Ordo Lapideorum. *Germ.* Glas. *Gallis* Verre. *Anglis* Glaſs.

Vitra ex lapide, vel arena vitreſcente cum ſale alcalino colliquatis conflata, diffracta ſuperficies inſtar cultrorum ſcindentes habent, unde etiam rudius trita corpus deſtruere aſſumpta poſſunt.



Landesbibliothek Oldenburg

## CLASSIS SEPTIMA

# VENENORUM EXSICCANTIUM &c.

CALX VIVA vide P. II. p. 145.

GYPSUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Artefactorum. Ordo Terreorum. *Germ.* Gips. *Gallis* Platre. *Anglis* Parget.

De lapide gypſeo, igne exuſto, præparatum hoc terreum, album, a calce admodum diſtinctum eſt; in aere enim non fatiſcit in pulverem, nec in aquam demiſſum effervefcentiam excitat, ſed illico in lapidis ſpeciem, *plaſtrum* vocant, concreſcit, quod nulla calcinatione in priorem calcem redigi poſſit, *Cl.* IUSSIEU *Acad. des Sciences 1719.* & tamen huic calci nihil niſi aqua acceſſit. Gypſum noſtris viſceribus irreſolubile venenum eſſe, intelligimus ex ingenti totius Germanorum exercitus ſtrage, qui gypſo farinæ admixto periiſſe fertur. Salus in aceto. Podagricos dolores ſuos ſolo pulvere alabaſtrino leniiſſe, PAULLINUS, KELLNERUS, teſtantur.

PLUM-

Landesbibliothek Oldenburg

PLUMBUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Metallorum. Ordo Molliorum ante ignitionem liqueſcentium. *Germ.* Bley. *Gallis* du Plomb. *Anglis* Lead.

Metallorum omnium cognitorum infimum, *maxime malleabile, non elaſticum, nec tinniens, coloris ex cæſio gryſei* PLUMBUM, fuſum in ſuperficie nebulam contrahit, quam adeo pertinaciter regenerat dum ablata eſt, ut etiam totum in hanc fatiſcat; hæc *calx plumbi* dicitur, quæ vehementiori igne flaveſcens *Ceruſſa Citrina,* intenſiori rubra facta *Minium,* & de novo maiori igne vexata, fluens, & refrigerata, *Lithargyrus* vocatur.

Ab aere, aqua, rubiginem non adeo facile contrahit plumbum, ut ferrum, & cuprum, ſed tantum magis nigreſcit, & temporis diuturnitate in ceruſſam vertitur: oleis non ſolvitur, licet ceruſſa, & minium oleis preſſis, oleo terebinthinæ, coctione ſolvantur, & balſamum ſaturni, vel verniſci conſtituant. Cæterum patet plumbum tum in coctione, tum in fuſione ſalibus alcalinis fixis, etiam ſine his adminiculis ſalibus urinoſis, ſpiritui ſalis ammoniaci, cum quibus in mucaginem albam deliqueſcit. Acida vero maxime hoc metallum reſerant, quod corrodunt in calcem, ſolvunt, unde plurima præparata ſaturnina fiunt dulcia, & in genere omnibus patet menſtruis plumbum etiam adipi.

Cæterum imperfectum hoc metallum odorem & ſaporem habens omnium molliſſimum eſt & ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum duodecimam fere ſui ponderis partem amittit.

PRIN-

Landesbibliothek Oldenburg

PRINCIPIA

1. Terra vitreſcibilis; docet vitrificationis facilitas.

2. Phlogiſton, quod ex calcinatione plumbi manifeſtum, uti etiam cineris addito phlogiſto reſuſcitatione.

3. Mercuriale, quod ſpecifica plumbi gravitas, in igne fluxus, pernicioſi vapores, mercurii ex plumbo eductio, confirmant; ut vel ex hoc poſteriori principio venenati plumbi effectus clarius intelligantur, & iam facile dictu, cur huic metallo multum illaborantes colicam Pictonum, paralyſes, contracturam, tabem patiantur: cur vaſis plumbeis utentes, ut etiam vina nefaria arte per lithargyrium mangonizata ſumentes, ſimilibus afficiantur. In prophylaxi ſalus in pinguibus, oleoſis: In curatione in lacte, emollientibus, nervinis, anodynis, ASTRUC. Acida obſunt. Externe lamellæ plumbi vel ſolæ, vel mercurio obductæ, cancris occultis a nonnullis imponuntur.

PRÆPARATA præcipua ſunt:

MINIUM, calx plumbi igne reverberii in pulverem coccineum, cinnabari æmulum acta; atque in hac præparatione, & minii in plumbum reductione, duo ſatis curioſa obveniunt phœnomena, quod ponderis abſoluti in calcinatione incrementum minium aſſumat, ex centenario viginti librarum WALLERIUS, decem librarum MULLER; id ipſum vero in reductione iterum amittat. Ignis, aut eius pabulum hoc augmentum facit, HIERNE, bene, quod hodie a cauſtico ſ. acido pingui repetit egregius Vir MEYERS.

Mi-

Minium ad uſus externos in unguenta, & emplaſtra recipitur, ulceribus prurientibus, humidis, ſcopo exſiccante, refrigerante, conſtringente, utile. Eſt emplaſtrum de minio officinis.

LITHARGYRUS ſpuma plumbi ſemivitrificata, a purificatione metallorum reſidua, a colore, quo ludit, vel auri, vel argenti, chryſitis, vel argyritis dicta, lævigatur, edulcoratur, exſiccatur in uſus medicos; moderate exſiccans, adſtringens, ad loca excoriata, femorum intertrigines, laudatur. Proſtat in officinis unguentum de lithargyrio, quod alias etiam nutritum audit, quia epuloticum, eſt cum aceto lythargyrii & oleo olivarum factum; ad ambuſta laudatur.

Cæterum & hic loci dici merentur ex lithargyrio, & aceto concinnata ea medicamenta, quibus egregius GOULARD rebelles urethræ morbos curavit, *in libello Memoire ſur les maladies de l'urétre, & ſur un remede ſpecifique pour les guerir, a Montpellier 1751.* Recipit vero medicamentum lithargyrii totidem libras, quot pintas aceti, quæ in aheno per horam vel quinque horæ quadrantes, continuo, agitata ſpathula lignea, ebulliunt: ab igne ſepoſita quieſcit materies, liquor ſupernatans ſedimento per inclinationem effunditur, & lagenis ſervatur; huius uncia ſemis ceræ fuſæ libræ uni continua agitatione incorporatur, miſcelæ debite factæ tenuia lintea in formam linguæ exſecta immerguntur, convoluta in candelulas effinguntur, urethræ inſinuanda.

Sunt vero, quæ in hoc proceſſu notes, plurima; primo quidem, lintea debere eſſe tenuis texturæ, Hollandica, extenſa, lente liquido, nec nimis calido, nec ni-

nimis frigido immergenda, immerſa lente iterum & per gradus educenda, obducta rite, nec guttas amplius ſtillantia, ad refrigerandum reponenda, tum in obliquas linguas conſcindenda, longitudine varia, novem pollicum maxima; convolvuntur in candelulas exiguas, quæ carnoſitatibus ordinariis fundendis ſufficiunt.

Quodſi vero annoſiores, calloſæ etiam ſint, aut fiſtula perinæi ſtipatæ, actuari ſequenti medicamento candelulæ debent. Id vero recipit ceræ uncias ſex, præcedentis liquoris unciam unam ſemis, duas; Huic iam, ſub continua, ut prius, cum ſpatula agitatione, immiſcetur cera, tum remotis ab igne, ut prius, candelarum extremitatem tenuiorem aliqua altitudine immerge, refrigeratam inter duo marmora in cylindrum coge, & utere. Eſt adhuc candelularum ſimplicium, iis in caſibus præmittendarum, ubi urethra ſenſibilior, dolentior, formula alia, quæ præcipit, ut ceræ granulatæ libris ſex, ſevi vervecis libræ ſemis, fuſis, olei amygdalini ſine igne preſſi libra ſemis, agitata ſpatula commiſceatur ad perfectam miſcelam, ab igne remotis lintea ut prius intingantur.

Ex aliis conficere cereos docuit L'OLIVE Chirurgus Barcelonenſis; prima pro carunculis conſuetis formula eſt: ℞. Mercurii dulcis drachmas duas, antimonii crudi unciam ſemis, tutiæ præparatæ drachmam unam, rite mixta cum oleo amygdalarum redigantur in formam unguenti. Secunda pro durioribus: ℞. Pulveris ſabinæ drachmas quatuor, aluminis uſti drachmam unam, exacte miſcendo fiat pulvis ſubtilis, in quem cereus aqua gummi tragaganthi gravidus immergitur, qui ſiccus oleo amygdalarum oblinitur, & in urethram immittitur. Candelulæ D. GOULARD præferendæ ſunt.

CE.

CERUSSA, plumbi rubigo, ſeu acido roſa calx alba plumbi, aliis plumbi præparatis valentior, iam DIOSCORIDI vi refrigerante, excreſcentias reprimente nota; eſt coſmeticum familiare mulieribus, nec longo uſu tutum, nec, quod faciem magis denigret, & corruget, utile: Unguentum album ſimplex, aceto ſoluta ceruſſa, addita axungia exurgens, locis excoriatis, ambuſtis, prurientibus proficuum.

ACETUM SATURNI eſt acetum ceruſſa dives.

SACCHARUM SATURNI. Eſt *inſpiſſatum in chryſtallos ſaturni acetum*, verum ſal plumbi, ſaporis dulcis, & adſtringentis. Saccharum ſaturni ex ceruſſa factum facile cryſtalliſatur, ex Minio aut Lythargyrio confectum vix ſi unquam rationem cauſtici ſuppeditat. MEYERS. l. c.

† USUS externus chirurgis ſemper multus in purganda a maculis cute, ulcuſculiſque varii generis abigendis, BOERHAAVE *Chem*: tollenda partium inflammatione, IDEM; repercutit enim, & refrigerat in ophthalmia, ST. YVES; in ambuſtionibus, MICHAELIS; in coercendo ſcirrho, ne in cancrum eat, BOERHAAVE, HEISTERUS: at hodie cicuta felicius opitulatur. Saccharum ſaturni gangrænam partibus, quibus applicatum, ſæpe inducit. QUESNAY *de la ſupuration*. Internus ſemper ſuſpectus uſus; datur tamen hinc inde ſub finem in gonorrhœis. Sunt qui in phthiſi laudent, ſunt qui in febribus inflammatoriis cum camphora, nitro, aliis, extollant, vide HUNDERTMARK de *ſaccharo ſaturni*.

BAL-

Landesbibliothek Oldenburg

BALSAMUS SATURNI. Eſt ſaccharum ſaturni oleo terebinthinæ ſolutum, in ulceribus ſordidis, atque cancroſis utile, ETMULLER, IUNCKEN, imo & plumbi balſamum cum oleis expreſſis vel ſtillatitiis valere in his, BOERHAAVE in *Chem.* contendit.

PLUMBUM USTUM. Eſt calx plumbi cum ſulphure, calcinatione parata, edulcorata, ſiccata.

STANNUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Metallorum. Ordo ante ignitionem liqueſcentium. *Germ.* Zinn. *Gallis* Etain. *Anglis* Tin.

*Metallum* imperfectum *cum livore ſplendens, fragile, ſonorum, omnium leviſſimum* STANNUM, ut plumbum in calcem, vitrum, etiam in auras abit, accenſum odorem ſulphureum, alliaceum habet, aliis metallis, recipit vero omnia, ductilitatem demit immixtum.

Etiam hoc inter manus fricatum odorum, tum ſapidum eſt & ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum unam ſeptimam ſui ponderis partem amittit.

PRINCIPIA ſunt

1. Terra alba, alcalinæ indolis, OMNES, ſpecificæ WALLERIUS in HIERNE, difficulter vitreſcibilis, docet vitrificatio.

2. Principium ſulphureum inflammabile, quod etiam per ſe absque addito inflammetur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1738.* quod cum nitro fuſo detonet & deſtillatione ſulphur addito vitrioli oleo largiatur. Cæterum vix non ſemper ſtanno arſenicum ineſt HENCKEL.

GEOFFROY, *Acad. des Sciences 1738.* licet de eius natura non ſit, datur enim etiam arſenico liberum, MARGGRAFF *Acad. de Berlin* T. III. ſed vix ad uſum communem tale adhibitum invenitur. Uncia ſemis ſtanni Indici vix non drachmam dimidiam arſenici continet, in Anglico maior, maxima in Saxonico eius proportio eſt. IDEM. *Acad. de Berlin.* Ut merito concludatur perpetuum vaſorum ſtanno obductorum uſum noxium eſſe, maxime ſi acida per noctem in his vaſis ſerventur. Stannum enim venale, ſemper plumbo infectum, acidis etiam debilioribus patet, tum ob plumbum, tum ob propriam ſubſtantiam, purum enim ſtannum etiam his ſolvitur, IDEM. Luculentiſſima experimenta ſtanni Indici, Anglici, & Germanici acido ſoluti, vide *Ibidem.*

USUS in medicina vix multus. Stanni puriſſimi raſi drachmam unam, bis de die cum conſerva vorandam, ad tæniam expellendam nonnulli laudant. Stanni raſi, coralliorum rubrorum, ana drachmam unam, cum conſerva abſynthii, bis de die ſumendam MEAD, & ſtanni pulverem ad unciam ſemis bis in die dari poſſe *Pharm. pauperum in uſum Noſocomii Edimburgenſis,* præcipit, tum contra tæniam primam PLATERI ſtanni unciam unam, theriacæ uncias quatuor pro prima doſi, pro ſecunda altero die exhibenda unciam ſtanni dimidiam, theriacæ uncias duas & pro tertia eandem quantitatem recommendavit & probavit ALSTON *Society in Edimburgh* Vol. V. P. I. In hac vero præſcriptione id ex utilitate & neceſſitate animadverto, *Cl.* virum theriacam Andromachi intelligere non poſſe, ſiquidem in prima doſi unciarum quatuor continentur opii grana viginti novem ad minimum, ipſo *Cl.* viro docente in commentario *de opio* eodem volumine contento, ſed intellige-

ligere theriacam Edimburgenſem poſſe, quod, ne alii in errorem inducerentur, addi debuerat. Item militem leproſum brevi tempore ſcrupulo uno amalgamatis ſtanni, ſingulis diebus ſumpto, curatum in noſoc: milit: Londinens. in *Recueil Period.* habetur. Datur etiam contra hydrophobiam, perperam tamen, L. B. van SWIETEN.

PRÆPARATIONES ſunt:

SAL IOVIS. Cryſtalli calcis ſtanni aceto potentiſſimo ſolutæ, inſpiſſatæ, inutiles.

MAGISTERIUM STANNI. Stanni pulvis acido ſolutus, alcali præcipitatus, abſurdus.

ANTIHECTICUM POTERII calx antimonii iners cum calce ſtanni, omni abſorbente deterior, periculoſior, STAHL.

SYNOPIS ſeu RUBRICA FABRILIS *Offic. Mineralogor.* OCHRA. Claſſis Naturalis Terrarum Ferrearum. Ordo non mineraliſatarum. *Germ.* Röthel Kreide. *Gallis* Craye Rouge.

OCHRA *rubra cretacea* WALL. Martialis, ſiccans, & adſtringens eſt; vires in ea laudavit DIOSCORIDES emplaſticas, conglutinantes, vulnerarias: Ovo ſumptam, ut & clyſmate iniectam, alvum ſiſtere etiam reliquit. Uſus hodie ſolum externus, & is parcus. Venenata qualitas experimentis non adeo confirmata eſt.

His adde venena alia moleſta, glutinoſa.

# *VEGETABILIA.*

CYNOSBATI ſpongia *Offic.* ROSÆ Sylveſtris *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Dürre Hieſſen. *Gallis* Eponge d'Eglautier. *Anglis* Spunge of Heps.

CYNOSBATI ſpongia nidus inſectorum eſt, villoſus, hirtus, aqua maceratus tumidior, canum ordinarium venenum, quod aſſumptus expanſus ventriculi orificium ſuperare non poſſit, ſic anxietates, mortem inferat. Multi tamen etiam medicatum faciunt; experimenta deſunt. Fructuum dilutius decoctum in iſchuria, *in Actor. Helv.* Tom. II. laudat HOFERUS, dubio tamen, ut ipſe fatetur, experimento.

FUNGI. *Offic. Botanicorum* Claſſis Naturalis Cryptantherarum. *Germ.* Schwämme. *Gallis* Champignon. *Anglis* Mushrom.

FUNGORUM natura iam veteribus ſatis perſpecta fuit; teſtatur DIOSCORIDES, qui fungos alios noxios, alios eſſe eſculentos pronunciavit, & PLINIUS, cibo hoc ancipiti integras familias periiſſe, & iam tum veneni loco uſurpatos fuiſſe reliquit: Tum CLAUDIUM Cæſarem boleto interfectum narrat, NERONEMque Deorum bromam, ſeu eſcam, fungos vocare ſolitum, quia CLAUDIUS, cuius ſucceſſor NERO fuit, inter Deos, a fungo peremptus, eſſet relatus. Noſtrorum temporum monumenta plurimas de venenatis fungis ſtrages habent, imo ex ſolo odore venenati fungi convulſiones, & motus epilepticos, dein mortem, enarrat

rat FORESTUS, ab eſu ſtultitiam IDEM teſtatur, diriſſima mala alii. Salus a vomitu, ſaponaceis, mellitis, anodynis.

PSYLLII Semen *Offic.* Semen PLANTAGINIS *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Flohſaamenkraut. *Gallis* herbe aux puces. *Anglis* Flee ſeed.

PLANTAGO *caule ramoſo erecto;* Nigrum, pulicibus ſimile ſemen, admodum mucilaginoſum eſt. Vis venenata haud poſt DIOSCORIDIS ſententiam certa, mucilaginoſa ad loca excoriata, ambuſta, ad rigidas, induratas partes emolliendas, utilis. Raro interne datur.

VISCUM QUERCINUM *Offic. Botanicor.* Claſſis Naturalis Incomplet. *Germ.* Eichel Myſtel. *Anglis* Miſeltoe of the oak.

VISCUM *Album, foliis lanceolatis obtuſis, caule dichotomo, ſpicis axillaribus.*

Paraſitus frutex ex fraxino, tilia, maxime quercu enaſcitur, delato in has arbores ſemine. Baccas habet candidas, tranſparentes, ſucco tenaciſſimo præditas, unde gluten aucuparium conficiatur, nobis indomabile venenum. Viſcum emollire, diſcutere, extrahere parotidas, tubercula, cæteraſque collectiones ad maturitatem ducere, reſinæ & ceræ mixtum, DIOSCORIDES. Uſus huius in medicina nullus, ſed ligni ad epilepſiam plurimorum repetitis experimentis deprædicatur, & nuper adhuc ſex epilepticos hoc remedio percuravit IACOBI.



Landesbibliothek Oldenburg

Doſis in pulvere gran. triginta, etiam maior, omni trihorio, ſuperbibendo uncias aliquot infuſi eiusdem; laudatur infuſum adhuc in arthritide, laxitate, ſolidorum languoribus *Act. Phyſic. Med.* N. C. Vol. I. In hyſtericis affectibus, & nervorum morbis, convulſione, paralyſi, ſtupendi effectus, BRADLEY; in gravedine, morbis catarrhoſis vis viſci quercini errhina multum deprædicatur, *Act. Phyſic. Med. Acad.* N. C. Vol. VIII. Per os pota urinam turbidam reddit, & ſudorem particularem excitat. *Ibidem.*

CLAS-

# CLASSIS OCTAVA VENENORUM HETEROCLITORUM ANIMALIUM.

ARANEA *Offic. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum Apterorum. Ordo, pedibus pluribus, capite cum thorace unito, donatorum. *Germ.* Spinnerin. *Gallis* Araigne. *Anglis* Spider.

Venenatæne ſint in noſtris regionibus Araneæ? vix certis evictum experimentis: HARVÆUS nihil invenit, deſunt aliorum tentamina: In araneæ punctura tamen, & hanc ſequente gangræna, eſſentia caſtorei, & ſpiritus ſalis ammoniaci BORNERO laudantur. Ex telis ſericea opera tentata in Galliis, non approbata REAUMUR, easdem ad recentia vulnera, ſanguinis ſiſtendi cauſa vulgus adhibet. De aranea viva ex amuleto ſuſpenſa in febre quartana, ut & de lapide araneæ, non certa fama eſt. De aranearum telæ accenſæ, tumentes extus hæmorrhoides diſſipante vapore, experimenta certiora. An quia ſale volatili gaudet? Sed quibus diſſipandæ, videndum.

TARANTULA araneæ ſpecies, cuius maxima in Apulia, Barbaria, Oriente, frequentia eſt, quæ ſub canicula furioſa aſſultim aggreditur homines, & morſu peſſime nocet, & cum lethalibus ſymptomatibus taran-

rantismum inducit, muſica ſanabilem. Ita quidem BAGLIVIUS, alii factum negant, & hunc morbum hodie Calabriam afficere, nomine *coccio maligno*, alii ſtatuunt. Eſt adhuc aranea avicularia, quod aviculis inſectis morſu diro ſerpentino minetur, dicta, haud tuta.

BUFFO *Offic. Amphibiolog.* RANA. Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Reptilium. *German.* Kroth. *Gallis* Crapaud. *Anglis* Toad.

RANA *Buffo* venenata eſt, tactu, halitu, potu, maxime vero verrucis lacteſcentibus, LINNÆUS. Cognoſcitur corpore ventricoſo, verrucoſo, lurido fuſcoque: Rana eſculenta vero, corpore angulato, dorſo tranſverſe gibbo, abdomine marginato. Poſterior recte in cibum, prior præpoſtere in medicinam vocatur, licet in pharmacopœa Leidenſi æthiops animalis pulvis buffonis uſti dicatur, & ſpecificus contra variolas deprædicetur.

CANTHARIS *Offic. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum Cleopterorum. Ordo Antennis ſetaceis. *Germ.* Spaniſche Mucken. *Gallis* Mouches Cantharides. *Anglis* Spanish Flies.

CANTHARIS *cæruleo-viridis*, *thorace teretiuſculo*, *fœtens*, etiam noſtrarum regionum incola, omnium temporum medicis ſuſpecta, iam DIOSCORIDI infamis fuit, & ſepticum venenum, viis urinariis quam maxime infeſtum, plurimorum morte notatum, monumenta hodierna ſatis ſuperque teſtantur. Omni inſecti parti vis cauſtica urens, & capiti, & alis, & pedibus, & corpori.

Eſtne

Eſtne camphora huius antidotum? laudat GREENFIELD, multis perſuadet; ſuntne acida? ita TULPIUS & *in Acad. des Sciences* HOMBERGIUS, & hi ſuos fautores habent. At ſal illud cauſticum, quod reſinoſæ parti maxime ineſt, per experimenta nondum determinatum eſt, etiam poſt tentamina COCKBURN in *Tranſact. Philoſoph.* quid! quod etiamnum multi acidum habeant: an forte inde cum ſale alcalino dedit hydropico grana aliquot cantharidum GRAINGER? Mirum eſt, cantharides cum acidis foſſilibus efferveſcere diu, ſæpe etiam poſt annum concuſſo liquido efferveſcere de novo, nec unquam ſaturationis punctum aſſequi, aut eius productum dare. L. B. van SWIETEN. Cæterum cantharides ſanguinem coagulant multiplici experimento, *Cl.* VERATTI *Bononienſ. ſcient. & art. Inſtituti* T. II. P. I. ſerum vero ſanguinis non mutant; extractum veſicans non eſt, nec eſt veſicans ex infuſione reſiduus pulvis: Eſt tamen ubi extractum ſpiritu vini ſolutum rubefacit, IDEM *ibidem.* Sed neque arte chemica ex Cantharidibus obtentus ſal volatilis, ſeu extus ſeu intus detur proprias Cantharidum vires exerit PROBST *diſſert. 1759.*

Cantharidum libra una ſpiritus alcalini uncias tres cum dimidia, olei rufi drachmas ſex, ſalis volatilis uncias duas dimiſit in examine chemico SPIELMANN. l. c.

Internum uſum multi horrent, alii arcanum habent; GREENFIELD tuta praxis Anglis plurimis hodie probata eſt, etiam familiaris in ulceribus viarum urinariarum, harum calculis, in podagra, lepra ob vires diureticas & aliis morbis; tincturam cantharidum extemporaneo uſui proſtare in Noſocomio Regio Edimburgenſi video, & pulverem tenuiſſimum cantharidum, a granis

 quatuor

Landesbibliothek Oldenburg

quatuor ad decem, in aceti optimi unciis duabus coctum, calide epotum, ſpecificum in hydrophobia a KRAMMERO *Commerc. Norimb.* 1735. laudari intelligo; ſed experimenta deſunt! Quatuor grana cum dimidio, demptis capite, alis, pedibus, cum totidem camphoræ, & conſervæ momento, duobus in bolis dedit in urinæ ſuppreſſione YOUNG, *Transact. Philoſoph.* Nro. 280. tum ibidem aliis in caſibus, ℞. cantharidum præparatarum Nro. III. Trochiſci e myrrha ſcrupulum ſemis, ſeminis Amei grana quatuor, Rob Cynosbati q. ſ. laudant & in hydrope alii infuſas, præſcriptione ſcrupuli unius in unciis quatuor, quinque vini diuretici, iuniperini, addito colaturæ ſyrupo ſimili aſſumptione dimidiæ unciæ pro doſi.

Externo uſu ad rubefaciendum, veſicandum, omnibus receptus pulvis revellendi ſcopo in apoplexia, lethargo, cephalalgia, hemicrania, anginis, doloribus arthriticis, iſchiadicis &c. Aſthmaticorum ſalutem in veſicatoriis ſemper invenit in ſubiectis pituitoſis & ſenibus KLAUNIG *Ephem.* N. C. Eadem delirantium hypochondriacorum certam medicinam eſſe, Anonymus Obſ. I. *Prod. Act. Havniens.* tum & in morſibus venenatis applicata veſicatoria laudantur *Act. Nov. Acad.* N. C. Vol. I. & crudeliſſimo rheumatiſmo inter ſcapulas nihil magis prodeſt, quam veſicatoria ſuperimpoſita, HUXHAM *de morbo Colico Damnoniorum*; etiam in ulceribus manantibus capitis exſiccatis, & inde orta epilepſia, mitiora, v. g. ex emplaſtri de meliloto vel laudano uncia una, veſicatorii drachma una, raſo capiti applicata laudat *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN.

Cæterum Cantharides contuſæ rubefaciente, veſicante ſcopo varia doſi per ſe miſcentur paſtæ, fermento panis, emplaſtris variis, tali tamen proportione ut in

ſumma

ſumma ad emplaſtri unciam dimidiam Cantharidum drachmam, in media drachmam dimidiam, & in minima grana quindecim recte præſcripſeris. Ipſa vero veſicantia emplaſtra adplicantur diverſis corporis humani partibus, & ſuris, & femoribus, & brachiis, & nuchæ, & tergo inter homoplatas, quandoque etiam utrique proceſſui maſtoideo, & olecranio; quibus in caſibus ſuper varias corporis humani ſedes dari debeant, hæcque illa convenientior ſit, & reſcindi queat, ex iudicio practico peti debent;

Et indicantur

I ubi generali ſtimulo ad augendam ſanguinis circulationem opus.

II ubi retrocedentibus variolis orthopnœa, anxietas delirium, aut ſuppreſſa evacuatione alia mala oriuntur, hinc ubi in partem nobiliorem metuendus humorum decubitus.

III ubi decumbens iam in parte materia evocanda ut in fluxionibus rheumaticis, pleuritide &c.

Contra indicantur

I ex vehementia febrilis ignis.

II in ſopore variolarum, qui ex vi febris & turgore vaſorum oritur TYSSOT *de variol.*

III in vehemente ſuppurationis varioloſæ febre. IDEM.

Cæterum in hac tractatione id adhuc ſcire convenit ſimul emulſiones, vel decocta emollientia, mucilaginoſa, intus danda, ne viæ urinariæ, quas frequenter læ-

lædunt, offendantur, alias enim urina cum ſummo dolore redditur, & nonnunquam cum ea ſanguis deſcendit, quibus rebus & lac & emulſiones antea dictæ pariter opitulentur, certiſſime vero eæ levamen ferant emulſiones, quæ cum camphora factæ BALDINGER *de militum morbis 1763.*

LACERTA *Off. Amphibiologorum.* Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Reptilium. *Germ.* Salamander. *Anglis* Lizard-Salamandre. *Gallis* Salamandre.

LACERTA *Salamandra* Europæ incola, cognoſcitur *cauda tereti, brevi, digitis muticis, corpore poroſo nudo:* In igne vivere antiquitus ferebatur; confirmaverat experimentis Eques CORVINUS. Sed *Cl.* MAUPERTUIS in *Acad. des Sciences* omnes riſit. Animal corpore poroſo lac fundit, quod igne in formam perlæ induratur, IDEM. Hoc lac acrimoniæ eſt ſtypticæ, & tithymalum animale vocat *Cl.* MAUPERTUIS, pro pſilothro haberi LINNÆUS perhibet. Animal venenatum non eſt.

LACERTA *Gecko* in Indiis habitans, pedibus ſuis venenum exhalat in eſculenta.

LEPUS MARINUS *Offic.* TETHYS *Syſt. Natur.* Claſſis Naturalis Vermium. Ordo Molluſcorum.

TETHYS *Leporina corpore rubro, margine membranaceo, auriculis duabus*, in mari mediterraneo habitans, gravidis ob fœtorem infeſta PLINIO, GESNERO obſervata, alias venenum peculiare non alit.

SCOR-

SCORPIO *Offic. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum Apterorum. Ordo pedibus pluribus, capite cum thorace unito, donatorum. *Germ.* Scorpion. *Gallis* Scorpion. *Anglis* Scorpion.

SCORPIO *Europaeus pectinibus octodecim dentatis, manibus ungulatis*, caudam ſub aculeo mucronatam habet, venenatus, ictu non ſemper lethali *Acad. des Sciences 1731.* Vulneri oleum ſcorpionum applicatur, quod etiam in ſuppreſſione urinæ, dolore nephritico, illinitur lumbis, pubi, perinæo etiam iniicitur. Ignorari tamen non debet, multarum harum beſtiarum venenum non in omnibus locis idem, ſed varium, dici; ſcorpiones Italicos innoxios, magis tamen iis in Apulia periculoſos, in Africa vero ſumme venenatos habet RHEDI, nec tarantulas æqualiter omni anni tempore venenatas BAGLIVIUS, & innocuam ictu viperam vidit CAMMERARIUS *in Diſſert. Epiſt* &c. Ultimo demum repetitis experimentis innoxios ſcorpiones MAUPERTUIS pronunciavit *Acad. des Sciences 1731.*

SERPENS *Offic. Amphibiologorum.* Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum. *German.* Schlange. *Gallis* Serpent. *Anglis* Snake.

Peſſima tetraque animalia, horrendo veneno, in diverſis diverſo, gaudentia; quod humanæ ſtultitiæ cumulus, adhuc hodie divinis honoribus honeſtantur!

CROTALLUS *horridus* dictus, in America degens, venenatiſſimus eſt. Lædit etiam Dryinas, Duriſſus. Horridi antidotum Senega habetur.

CO.

Landesbibliothek Oldenburg

COLUBER *Aſpis* nullo percepto dolore ſomnum inducere creditur, & ita periiſſe CLEOPATRAM noviſſimam Ægypti Reginam. An Galliarum illa aſpis veterum ſit, multa dubitatio. Sed etiam Coluber *Cherſea* venenatiſſimus, & morſu ſæpius lethalis in Suecia, LINNÆUS, ab aſpide non ſatis diverſus, IDEM. Ceraſtes tetanum, Seps, gangrænam, Dipſas inexplebilem ſitim, Preſter emphyſemata, faciunt. Coluber *Naia* Indiæ Orientalis omnium eſt venenatiſſimus. Antidotum Ophiorrhiza. Coluber *Vipera* Ægyptiis in officinis adhibitus etiam morſu lædit, ut *Berus*.

TORPEDO *Offic. Amphibiologorum* RAIA. Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Nantium. *Germ.* Zitter-Fiſch.

RAIA *Torpedo* proprie veneno emiſſo non nocet, ſed motu adeo ingrate tremulo, attacta ſtuporem facit. *Acad. des Sciences 1714.*

RAIA *Paſtinaca corpore glabro, aculeo longo, anterius ſerrato, in cauda apterygia,* cognoſcitur, ULYSSIS fato infamis. In cauda aculeum venenatum gerit piſcis, gangrænam immedicabilem, DIOSCORIDI deſcriptam, inducentem.

VIPERA *Offic. Amphibiologorum* COLUBER. Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum. *Germ.* Viper. *Gallis* Vipere. *Anglis* Viper.

COLUBER *ſcutis abdominalibus* CXLV. *ſquammis caudalibus* XXXVI. Hodie ex Italia ad nos pro uſibus medicatis allatus, hominem, aut alia animalia

non

Landesbibliothek Oldenburg

non niſi læſus aggreditur, mordet, quod etiam a trunco ſolutum caput multo cum periculo fecit. Anatomen animalis, ſedem veneni, RHEDI primus patefecit; morſu virus habent, & fatum dente minantur, pocula morte carent. Antidoton ſal volatile viperarum invenit CHARRAS: Alcali volatile aliud oleo ſuccini unitum profuit, IUSSIEU, *Acad. des Sciences* 1747. Oleum olivarum, *Philoſoph. Tranſact.* deprædicatur, quod tamen inutile deprehenſum in experimentis ſociorum *Acad. des Sciences*. Axungiam viperæ etiam proponit MEAD.

VIS MEDICA iam antiquiſſimis temporibus nota: ab his theriaca Andromachi dicta; & duobus elephantiaſi laborantibus poculum, in quo vipera extincta fuerat, epotum ſaluti fuit, GALENUS; & pertinaciſſimam lepram vino viperino ſanatam, poſteriori tempore vidit MEAD. Sed etiam ANTONIUS MUSA AUGUST medicus, cum incidiſſent inſanabilia ulcera, viperas edendas dabat, miraque celeritate perſanabat, teſte PLINIO. Iuſcula hæc emollientia ſunt, inviſcantia, alcaleſcentia, in cauſa acida proficua; nimis forte univerſaliter magnatibus omnibus recepta. Viperarum exſiccatarum pulvis abſurdum pharmaçon eſt. Trochiſci inſulſi. Sal volatilis viperarum tolerandus, alteri haud ſuperior. Pinguedo morbis oculorum amica & ſalubris, in India orientali multi uſus. HANS SLOANE *Acad.* N. C. Vol. X.

RABIOSORUM ANIMALIUM VENENUM etiam huc referendum; atque id mirabile venenum diverſis animalibus rabidis proprium, corporibus etiam inanimatis inhærens, mortuum, viventibus communicari poteſt, & in univerſum morſu, vel le-

viſſi-

viſſimo, per ſola veſtimenta adacto, tantum radente, & eliciente ſanguinem, ſpiritu in pulmonem ducto, ſpumæ recentis, vel etiam iam dudum exſiccatæ contactu, labiis, linguave exceptæ, oſculo rabidi, infectione inſtrumenti vel contrectatione vulneris, rerum infectarum, eſu lactis carniſve animalis rabioſi &c. communicatur.

Antidotum certum nondum inventum; laudatur moſchus, camphora, aſa fœtida; multum extollitur pulvis antilyſſus Anglorum, quem tamen minime *Illuſtr.* WERLHOFIUS probat, ſic & mercurio elicita deprædicatur ſalivatio; & nuper caſu fortuito ſe recommendavit acetum liberaliter hauſtum; cantharidum pulverem plurimi laudant a granis IV ad X in aceti optimi unciis duabus coctum, calide epotum KRAMERUS *in Commer. Norimberg*; quam vocat divinam medicinam CATANI *riflesſioni Fiſico-Mediche ſopra di un nuovo antilyſſo. Napoli 1756.* Sic compoſitam exhibet:

℞. Pulv. piper. long. elec. drach. duas ſemis.
Canthar. optime pulverat. ſcrup. duos.
M. F. P.

Valet ad omnem morſum canis, aut alterius animalis rabidi, ita tamen, ut ſolum duabus, ad ſummum tribus vicibus conſecutivis exhibeatur: & quidem granorum ſeptem doſi, annum ſeptimum ad decimum agentibus, granorum novem a decimo ad decimum octavum provectis, adultioribus vero granorum decem ad ſummum undecim: imperando ſimul ut duabus a ſingula medicamenti aſſumptione horis, ſcutella una alterave iuſculi cicerum rubrorum ex tota eorundem ſubſtan-

Landesbibliothek Oldenburg

ſubſtantia ſine ſale confecti, ſuperpotetur, ab omni vero carne maxime porcina abſtineatur. Illuſtris autem WERLHOFIUS *in Wichmanni diſſertatione* medicamentum ſequens maximi effectus & ſucceſſus comprobavit

℞. Canthar. granum unum.
Mercur. dulc. gran. unum ſemis.
Turbith. miner. gran. ſemis.
Camphor. grana decem.
Mucilag. Gummi Tragaganthi q. ſ. ut fiant Pilulæ.

Quæ ſumantur pro doſi, & repetantur ſingulis diebus per ſex ſeptimanas.

In aquam frigidam immerſio hydrophobiam ſæpe ſuſtulit, quam tamen hodie multiplici argumento, eoque convincente, improbat NUGENT. *An eſſay on the Hydrophobia*, vulneri vero a morſu canis rabidi facto ſalitum halecem per 24 impoſitum, dein aliquoties renovatum nonnulli recommendant; cauteriſare vulnus, idque profunde ſcarificare, & unguento mercuriali intingere alii ſolent.

Iratorum aliorum animalium, quibus in dente venenum, morſus lethales ſæpe viſos vix miramur, ſed etiam illorum, in quibus nullum eſt, ſtupemus. De morſu anatis irati venenato, & mortifero obſervationem communicavit LE CAT *in Recueil periodique d'obſervations de Medecine, de Chirurgie, & de Pharmacie Paris.* T. I. An vero ex ira animalis, an ex ſim-



Landesbibliothek Oldenburg

ſimplici oris labii ſuperioris vehementi morſu & vellicatione, mors ruſtici? diſquiri adhuc poſſet. Iratus canis multos dente ſæpius, haud venenato vulnere, ferit.

VARIOLOSUM VENENUM adeo ſæpe generi humano funeſtum, dum in conſtitutione epidemica confluentes facit puſtulas, ſalutiferum evadit inoculatis multiplici & irrefragabili experientia, loquuntur Noſocomia Anglica, Gallica, Italica, & alia, integræ Regiones de ſervatis civibus lætæ, & hodie inoculatio Theologorum approbatione, principum iuſſu, civium voto ſecura eſt. De methodo inoculandi vero legendi Authores.

CLAS-

# CLASSIS NONA VENENORUM SPECIE HALITUS PERIMENTIUM.

ARSENICALIUM AURA vide p. 33. &c.

CARBONUM accenſorum in loco clauſo VAPOR omnibus hominibus, & animalibus lethalis per plurimos triſtes caſus deprehenſus fuit; an evaporat noxii aliquid de carbonibus? aeris ſupra carbones accenſos undulatio, ponderis iactura, id ſuadent, cum ex carbonum libris ſedecim vix libra una cinerum obtineatur, ut igitur illius noxii, quod cauſticum vocat MEYERS, libræ quindecim exhalent; atque id etiam in iisdem experimentis evidens eſt, quæ comprobant ſalis alcalini ſolutionem cauſticam reddi magis ardente aut recenter exſtincto, iniecto carbone. Altera quæſtio eſt, an id exhalans aeris elaſticitatem deſtruat, hac deſtructa perimat, aut per ſe lethale ſit? an illico ipſam captivat mentem? Natura huc uſque dicta non eſt, effectus funeſti tum ab his, tum a glebarum uſtilium Belgis familiarium uſu obſervati.

Remedio eſt aeris permutatio, adiungit venæ ſectionem, vomitum, ſpirituoſa LODBERG, FRIIS *Prod. Act. Havniens.* In omnibus ſuffocationis generibus, in quibus in pulmones ſanguis congeritur, ut a fumo carbonum, & ſulphuris, & candelæ, ab antrorum peſtiferorum vapore, ab aere non renovato, a vapore

fodinarum carbonariarum, ex aere in pulmones vi inflato magnam ſpem alit *Maximus* HALLERUS *Element. phyſiolog.* T. III. exemplum addens ex *eſſays of a ſociety at Edimb.* T. V. n. 55. *Phil. Trans.* n. 475. *Art.* XI. A frictione irritatione partium nervoſarum, a corporis agitatione, volatilibus naribus admotis, venæ ſectione, etiam aquæ frigidæ perfuſione ſalus, teſte *Cl.* BOUCHER *Iournal. Encyclop. Iulliet. 1760.* Præſervationis ſcopus adimpletur ſalis in carbones ignitos veteri de more inſperſione.

LITHANTRACUM VAPOR. Omnium inſenſiſſimus, maxime is, qui totam fodinam carbonariam obſidet; cum enim & accenſum lumen, & ardentes carbones extinguat, eodem, ac in antlia pneumatica educto aere, phænomeno, reſpirantes illico afficit, & brevi extinguit.

Miſeris remedium propoſuit in *Actis Upſal. 1740.* TRIEWALD, vultque protractum in apertum aerem in ventrem reponendum, oſque foramini, in terra effoſſo ceſpite patenti, obvertendum, ceſpite caput tegendum; inde ut plurimum levari, ſuperſtite ſola quandoque capitis gravitate, aſſerit IDEM: iam in *Philoſoph. Transact.* propoſitum legimus, idem remedium. Etiam in *Actis Upſal.* alia, ut & in *Edimburgenſibus* methodus curandi habetur.

Præter priorem hunc fodinarum carbonariarum vaporem, alter ſub forma telarum aranearum viſibilis, lampadis flamma inflammabilis, effectus tonitrui, & pulveri pyrio ſimiles producens, obſervatur, de eoque ſequentia experimenta in *Philoſoph. Transact.* inſtituta habentur. Eques LOWTHER raro ſucceſſu veſicam bovinam hoc vapore implevit, & Academiæ Londinenſi miſit; poſt menſem adaptato ex fiſtula tabacaria tu-

tubulo veſicæ orificio, & accenſa candela admota, vapor ſenſim expreſſus inflammabatur, ut ſpiritus vini, nec, quam diu in veſica vapor ſuperfuit, flamma extincta eſt; hac occaſione arte ſimilem vaporem produxit *Cl.* MAUD, dum uncias octo aquæ communis drachmis duabus olei vitrioli miſcuiſſet, & in matratio longi colli his adderet limaturæ ferri drachmas duas; ex effervescentia enati vapores, veſica excepti inflammabantur ad candelam, ut priores, quæ res dein clariſſimis viris, tum in naturam huius vaporis, cauſam motuum terræ, montium ignivomorum, ut & ſubterraneorum incendiorum, inquirendi anſam dedit.

Verum quia etiam hic fodinarum carbonariarum vapor lethalis eſt, qui luſtrandus ſit, in *Actis Upſal.* iterum edocet *Clar.* TRIEWALD. Iubet deſcendere aliquem in fodinam linteo madido obvolutum, tum in terram pronum baculo, cui in extremitate accenſa candela alligata eſt, eum quærere locum, quo hic erumpit; quo invento flammam toto loco accendi tumultu horribili tonitruante, quo ceſſante aerem depuratum eſſe aſſerit. Ventilator SUTTONII hodie in Anglia, & Gallia in eundem ſcopum adhibetur.

Sitne lithantracum fumus utilis, ut contendit HOFFMANNUS? Sitne conſumptionis in Anglia cauſa, ut plurimi alii ſtatuunt? Carbonum foſſilium fumum aptiſſimum purificando aeri, & huic elaſticitatem conciliando, maxime ſi is humidus, & ſpiſſus fuerit, inde pateſcit, quod Halæ Magdeburgicæ ſcorbutus, febres exanthematicæ, malignæ, tum etiam phthiſis, morbi admodum frequentes fuerint ante uſum lithantracum in fodinis ſalinis huius urbis, ab illo vero tempore quo his copioſe admodum utuntur, diſparuerint quaſi, HOFFMANN. *Opuſcul. Phyſ. Chemic.* Aer vaporibus

bus ſulphureis ſcatens etiam phthiſicis plurimum utilis, ut Tabi montis prope Neapolim FROMOND *Riſpoſta apologet.*

Octo libræ carbonum foſſilium ex Scotia allatarum, e retorta ferrea, igne per gradus aucto, dein vehementiſſimo, dedere ſpiritus volatilis urinoſi, odore ſpiritum fuliginis referentis, uncias tredecim, unciam ſalis volatilis unam, olei odore & colore olei petræ uncias ſex, URB. HIERNE l. c. *Tent.* IV. *de ſale volatili urinoſo in regno minerali.* Sed etiam acidum continent, IDEM *Tent.* V. licet neget *Cl.* POTT. veſtigia enim acidi in carbonibus & fuligine, demonſtrari poſſe in oleo, his in corporibus latente, WALLERIUS credit.

Ultimo nec id ignorari debet duum generum lithantraces eſſe, hos aut manifeſto ſulphure aut pyrite inſtructos, illos puriori bitumine infectos, quia accenſi ſulphurei nihil exhalent POTT *Send-Schreiben 1760*, & in univerſum in duas componi carbones hos foſſiles poſſe, in eam, quæ in combuſtione cineres, & eam, quæ ſcorias largiatur. LEHMANN. l. c.

AER DIU INCLUSUS. Etſi is iam per ſe omni viventi lethalis ſit, etiam flammam candelæ extinguat, ut triſtes primum caſus, iique numeroſiores, quam recenſeri poſſint, ſecundum tentamina, & experimenta phyſica evidentius commonſtrant, eſt tamen exhalationibus aliis inquinatus adhuc longe deterior & certius mortiferus. Quæ res quemadmodum claris ſtat experimentis, ita ſub diverſo capite ordinis cauſa dicenda. Sed cur demum ipſe concluſus, purus, adeo lethalis aer? an deſtruitur incarceratus? an illud adeo neceſſarium in illo emoritur vitæ pabulum? an perit elaſticitas? difficilis quæſtio.

AER

AER DIU CONCLUSUS ANIMALI EXHALATIONE GRAVIDUS. Si corporum animalium effluvia admodum corruptibilia ſint, docet aqua balneorum aliquantulum ſervata, cadaver olens, ARBUTNOT, *of air*, hæc aerem concluſum corrumpentia magis, maiorem ei labem conciliare debent. Aer puteorum, cyſtarum, cadavera continentium, quoties non ſubitas induxit mortes? Carcerum aer mortales ſæpe produxit ægritudines, ut amplo caſu, licet triſti, evincit BACO VERULAMIUS. Sepulturarum aer, maxime cavernarum ſubterranearum, in eccleſiis plurimis lethalis, numeroſis obſervationibus *Cl.* SAUVAGE *Act. Upſal.* 1742 *Cl.* HAGUENOT. *aſſemblée publique de la ſocieté Royale des ſciences de Montpellier* 1747. *Cl.* BRUHIER *de ſignis mortis.* Aer Xenodochiorum ab omni tempore admodum inſalubris deprehenſus, dum incluſus, unde varia conſilia corrigendi aerem Xenodochiorum a *Cl.* DU HAMEL proponuntur *Acad. des Sciences* 1758. & loco aperto, & aere perflato, Xenodochia ædificantur, & extra urbes, ſepulturæ exſtruuntur. Imo ne hodie quidem mortuus in eccleſiis ſepeliri unquam deberet; vide omni numero abſolutam diſſertationem *combien il eſt dangereux d'enterrer dans les egliſes, & d'habiter prés des cimetietes.* GAZETTE ſalutaire 1761. N. IX. X.

AER CONCLUSUS EXHALATIONIBUS MINERALIUM CORRUPTUS. Etiam admodum noxius eſt. In fodinis promontorii Bonæ Spei adeo teter exhalat vapor arſenicalis, ut nullum animal circum circa vivere poſſit. In Carniolia ex ſola hac cauſa morbi regnant epidemici. In inſula Ternata mons eſt ignivomus aerem mire corrumpens, & incolarum ſanitati infeſtus, BOYLE. Sulphurea ex lapicidinis ad aquas Pyrmontanas effluvia, aves interimunt, *Cl.* SEIP. *Trans.*



Landesbibliothek Oldenburg

*Philoſoph.* Nro. 448. Etiam a ſulphureis exhalationibus vegetabilia infici, & gramen gregi id comedenti inſalubre factum *Trans. Philoſ.* tum fodinarum aliarum noxiæ exhalationes recenſentur *ibidem.* Etiam ad thermas Boulidou Perol ſterilitatem camporum obſervari, nec ſata creſcere cerealia, & illa, quæ creſcunt, venenato ſucco impraegnata deprehendi, *Cl.* HAGUENOT. *Aſſemblée publique de la ſocieté Royale des ſciences de Montpellier 1743.* An ad hunc, vel primum numerum, revocari debent peſtifera illa effluvia in Grotto del Cane iuxta Neapolim? illa noxia putei Perol? HAGUENOT. l. c. putei Holſatiæ? quem deſcribit *Cl.* HANNAEUS *Gazette Salut.* Nro. XLII.

CONCLUSUS FODINARUM AER, VAPOR. Qui etſi in antecedentibus peſtifer pronunciatus, hic magis, quia concluſus, criminandus venit. Et quidem ut res clarius illuſtretur, in nonnullis fodinis quatuor vaporum ſpecies inveniuntur. 1. eſt communis dicta, quæ, accenſæ candelæ flamma in orbem coacta, ſenſim dein extincta, cognoſcitur: effectus huius in corpus humanum ſunt, animi deliquia, convulſiones, ſuffocatio; raro mors, ſi aer externus concedatur. 2. eſt floris piſi, ob odorem ſic dictus vapor, vix lethalis. 3. Omnium peſtifera, forma ſphærica, cute cincta, in ſumma fornicis parte magnis aditibus patente, ſuſpenſa, omnes ſuffocans diffuſa; hæc igne luſtratur accenſo. 4. Species fulminans eſt, comburens, lethalis ſæpe, & hæc fodinis carbonariis etiam familiaris eſt. *Trans. Philoſoph.* Nro. 117. In fodinis Hungaricis ſimiles lethales ſæpe vapores obſervantur, ut quotidiana convincit experientia.

Saluti eſt tubus ſatis capax, & amplus, adverſus loco, ubi is erumpit, ventilator, tormentum miſſile, ſunt etiam alia. Igne non ſemper bene aer in fodinis luſtratur, *Philoſoph. Transact.*

FU-

Landesbibliothek Oldenburg

FUSORIARUM PLUMBI FODINARUM VAPOR. Plurimis mortalibus lethalis, inductis poſt ſæviſſima ſymptomata comate, aut apoplexia, WILSON. *Society of Edimb.* T. I. Aves occiſas, necata pecora, circa has pabulum quærentia, IDEM. Præſervativa remedia ſunt, oleoſa, pinguia ſercula pro ientaculo, IDEM. curativa, vina emetica, purgantia, clyſmata, IDEM.

FUMUS ACCENSI SULPHURIS. Omnia animalia reſpirantia necat; demonſtravere hinc inde hanc veritatem incauti chemici, & doliarii; idem profitetur incruentum phaſeanorum furtum: pulices ita necari, raro experimento BROWNE LANGRISH. *Experiments with ſulphur.*

VINI FERMENTANTIS HALITUS gas ſylveſtre, quod ob vim heteroclitam capi non poſſet, HELMONTIO dictus, apoplexiam, morte abſolutis fatuitatem, paralyſim, hemiplegias, & alia mala cauſat imprudentius hauſtus, ut ubique locorum, ubi muſtum in cellis vinariis fermentat, annua obſervatione confirmatur.

ATMOSPHÆRA ANIMALIUM PUTREFACTORUM. Cadaverum fœtor ſæpe vomitus, febres excitavit, quod infinitis confirmatum exemplis. Hominum non ſepultorum ſtrages peſtem teſte LIVIO. *Ambros.* PAREO, fecere. Sed etiam ex ingenti locuſtarum acie, accumulata, putreſcente, ſimilia narrat DIODORUS SICULUS, & *Magni* POMPEII exercitum ex equorum non tumulatorum vi peſte correptum, HISTORIA.

ATMOSPHÆRA PUTRIDARUM AQUARUM. Ex hac peſte vexata SELENIS, quam EMPEDOCLES ſuſtulit teſte PLUTARCHO, dum continuum

illis defluxum conciliaret. Alia vide apud *Cl.* CLIFTON WINTRINGHAM. *a Treatiſe of Endemic diſeaſes explainig the different Nature and proporties of airs, ſituations, ſoils, Waters. Diet, London 1752.*

ATMOSPHÆRA ÆDIFICIORUM RECENS EXSTRUCTORUM RECLUSA. Ex calce extincta, in ædificiis recenter exſtructis, venenati aliquid exhalat; rheumatiſmos, arthritidem, & varia alia mala inde obſervavit CHENEAU, hemiplegiam immedicabilem L. B. van SWIETEN, alii alia.

ATMOSPHÆRA VEGETABILIUM NOXIORUM. Anagyridis nemora fœtidiſſima cephalalgiam ſæpe induxere, LINNÆUS *de Viribus plantarum.* Dracontium odore intolerabile, IDEM. Lethalis etiam fungorum noxiorum odor, BOERHAAVE. Hippomane Europæos quam plurimos Surinamum appellentes ſolo halitu occidit, LINNÆUS. Iuglandis, ſambuci umbræ, ex veterum traditione etiam nobis ſuſpectæ ſunt, & febrem ſynochum induxere, LINNÆUS, & gravis iuglandis umbra etiam alvum ſiſtit, IDEM. Lini, & Cannabis effluvia, ut & maceratorum in aqua vegetabilium horum potum, lethalia eſſe, & ea inſtinctu naturali animalia omnia averſari *Cl.* NEUHOLD. *Nov. Act. Phyſic. Med. Acad.* N. C. Vol. III. Nerii flos cubiculo incluſus, morte dormientium ſæpe infamis fuit, LINNÆUS *de Odoribus Medicamentorum.* Poſſent adhuc dici quam plurima.

MA-

# MATERIA
# CHIRURGICA.

Landesbibliothek Oldenburg

# MATERIÆ
# CHIRURGICÆ
## PRIMA CLASSIS.
# REPERCUTIENTIA.

Exterius applicata Remedia, humores vel in vaſis contentos, vel extra vaſa effuſos repellentia etiam ulteriorem impellendorum decubitum in parte adaucta ſolidorum in fluida actione, impedientia, REPERCUTIENTIA proprie dicuntur, licet quæ poſterius efficiant, DEFENSIVA Chirurgis ſtrictius vocentur.

INDICANTUR. *I.* In periodico in partem blandorum humorum decubitu, prophylaxios ſcopo. Sic gelu vitiatis partibus maturius nix applicatur: Continuus in oculos humorum affluxus ut impediatur, oculi aqua ſingulis diebus prudenter foventur, ALARY *dans la queſtion propoſée de l'Acad. Royale de Chirurgie pour le prix de 1740. determiner les differentes eſpeces des Remedes repercuſſifs &c.*

*II.* In

*II.* In doloribus, extenſionibus aponevroſeos, ligamentorum, nervorum, tendinum diſtenſionibus. Dolor dentium frigida quandoque tollitur, frigida ſæpe diſtortum membrum reſtituitur IDEM.

*III.* In anevriſmate vero, varice, applicata glacies ſæpe auxilio fuit.

*IV.* In prolapſu ani, uteri, poſt reductionem.

*V.* In vulneribus recentibus, ut inflammatio, fluxio, tumor, prævertantur; quam in rem ipſa continui ſolutio aqua aluminoſa ſæpe irroratur, etiam vicinæ partes repercutientibus muniuntur, IDEM.

*VI.* In inflammationibus recentibus, ut in phlegmone, apoſtemate, ophthalmia, odontalgia, angina, carbunculis, ambuſtione, *Cl.* KULBEL. *in eiusdem Quaeſtionis propoſitae Reſolutione.*

*VII.* In ſuppurationibus cancri, ægylopis, hæmorrhoidum cæcarum impediendis, IDEM. Suppuratio tamen in cancro externo, cicuta tentato, impedienda non eſt, quæ in interno cavenda.

*VIII.* In nimio humorum effluxu, ut in hæmorrhagiis, ulceribus continuo plorantibus.

CONTRAINDICANTUR vero *I.* In humorum acrium, malignorum decubitu, in tumore, vulnere, ulcere malignis, in carbone, bubone, tam peſtilentiali quam venereo, ſcabie, eryſipelate, podagra, intertrigine.

*II.* In decubitu critico.

*III.* In

*III.* In plethoricis, cacochymicis.

*IV.* In rheumaticis, arthriticis, podagricis doloribus, tum aliis vehementioribus QUESNAY. *de la ſuppuration.*

*V.* In omni inflammatione obfirmata ut etiam in idiopathica; ſi aliquid præcedentium vetat, KULBEL. in inflammatione maligna, QUESNAY, tum glandulosa, IDEM.

*VI.* In evacuatione nimia ſanguinis, naturali, vel naturæ ſolemni, ALARY.

Sunt vero repercutientia ex multiplici, ratione qualitatis, materie deprompta, hæc refrigerando, illa adſtringendo, tum & nonnulla anodyno effectu, repellunt, unde claſſis horum triplex.

## *I.* REFRIGERANTIA.

### EX REGNO AQUEO.

Aqua ſimplex frigida.
Nix.
Glacies.

### EX REGNO VEGETABILI.

Acetoſa.
Alſine.

Ana-

Anagallis.

Endivia.

Fabaria.

Lactuca.

Lens paluſtris.

Nymphea.

Portulaca.

Pomorum pulpa.

Sempervivum maius.

minus.

Sem. IV. frigidorum maior. } Pultes.

minor. } Emulſiones.

## EX REGNO ANIMALI.

Albumen ovi.

Lac.

Lactis cremor.

Serum.

Sperma Ranarum.

Succus Cancrorum.

## EX REGNO MINERALI.

Nitrum. }

Sal ammoniacum. } Soluta.

Plumbum. }

OFFI-

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Acetum ſimplex.
Oxicratum.
Emplaſtra. Diapompholig.
De ſpermate Ranarum.
Saturninum &c.
Unguenta. Album.
Alabaſtrinum.
Comitiſſæ.
De Ceruſſa.
De Lythargyrio.
Infrigidans GAL.
Populeum. &c.

# *II.* ADSTRINGENTIA.

## EX REGNO VEGETABILI.

Acacia. *Cort. Succus.*
Alchimilla.
Anſerina.
Balauſtiorum *Flores.*
Biſtorta.
Berberis.
Equiſetum.
Fructus, omnes immaturi.

## EX REGNO ANIMALI.

Sepiæ atramentum.
   os.

## EX REGNO MINERALI.

Alumina.
Bolus Armena.
   Bohemica.
Calces bibulæ adſtringentes.
Ceruſſa.
Croci.
Cretæ.
Lapis Calaminaris.
   Hæmatites.
Lythargyrium.
Lutum fornacum.
Minium.
Saccharum ſaturni.
Thermarum martialium ſedimentum terreum.
Terræ Sigillatæ.
      Albæ.
      Rubræ.
Terra pavimentorum nigra.
Tutia.
Viride Æris.
Vitriolum.
Vitrioli Colcotar.
   Terra dulcis.
Zinci flores.

OF-

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Olea. Liguſtrinum.
Myrtinum. &c.
Emplaſtra.
De Lapide Calaminari.
Diapalmæ.
Defenſivum.
Stypticum Crollii &c.
Unguenta.
De Lythargyrio.
Diapompholigos.
Vina.
Auſtera.
Rubra.
Vinorum Rubrorum Fæces.

# *III.* NARCOTICA.

## EX REGNO VEGETABILI.

Bella donna.
Crocus. Eius *praeparata.*
Hyoſciamus.
Papaver. *praeparata.*
Solanum.



Landesbibliothek Oldenburg

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Olea. Hyoſciami.
Papaverinum.
Emplaſtra.
De Cicuta.
Narcoticum Mynſichti.
Unguenta.
Anodynum.
Populeum compoſitum.

Et hæc quidem ea ſunt, quæ potiſſimum in hanc cauſam recenſeri poſſunt; eſt tamen iudicio in his omnibus chirurgico opus, cum enim in triplici hac claſſe nonnulla potentiora ſint, ſint & imbecilliora alia, quibus utendum, præſens caſus ſemper inſtruere debet: Eſt ubi ex binis claſſibus diverſa feliciter coniungas, tum ubi hæc potiora, illa deteriora obſerves: Sed hæc per regulas tradere nimis longum. Non reticendum tamen, quod iam olim HIPPOCRATES bene monuit, ſimilia inveteratas inflammationes denigrare, tum quæ GALENUS edixit, vehementi iam in parte inflammata incuneatione facta, repercutientibus non amplius utendum eſſe, quibus & ea addi pulcherrima poſſunt, quæ in hos textus *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN commentatur.

Narcotica quod ſpectat, ea quidem ex ſua natura non adeo damnoſa, modo ſopito per hæcce dolori, non nimium fidat medicus, L. B. van SWIETEN, *Comment.* T. I. p. 366.

CLAS-

## CLASSIS SECUNDA.

# RELAXANTIA.

Quæ in fibris tenſionem, irritabilitatem, dolorem tollunt, easque elongant, RELAXANTIA habentur.

INDICANTUR vero hæcce.

I. Ubi maior in parte inflammata irritabilitas, elaſticitas nimia, aut vibratio, hinc ubi per repercutientia reſolutio ſperari non poteſt.

II. Ubi in parte nimia ſiccitas.

III. Ubi in eadem nimia rigiditas.

IV. Ubi nimia contractio.

Contraindicantur in contrariis.

Cum vero nonnulla relaxantium ſolum humectando, alia emolliendo, alia iterum temperando agant, etiam horum triplex ſtatuenda claſſis eſt.

## *I.* HUMECTANTIA.

Aqua moderate calida.
Aquæ Calidæ vapor.
Balneum.
Fomenta plantarum aquoſarum moderate calida.
Similia ſaponacearum plantarum.

# *II.* EMOLLIENTIA.

## EX REGNO VEGETABILI.

Vide T. II. p. 3. ſeq.

## EX REGNO ANIMALI.

Adeps.
Axungiæ omnes.
Butyrum.
Medullæ.
Olea preſſa.

Et hæc quidem pinguia circumſpectius adhibenda, ut & emplaſtra his facta, quod fervidam inflammationem illico denigrent, alios caſus vero potentiſſime iuvent, quod illico relaxant.

## COMPOSITA OFFICINALIA.

Olea omnia mollia.
Unguentum de Althæa.
Populeum.
Emplaſtra.
Diachylum ſimplex.
De mucilaginibus.

III. Tem-

# III. TEMPERANTIA.

## EX REGNO VEGETABILI.

| | |
|---|---|
| Farinæ<br>Cerealium.<br>Secalis &c.<br>Leguminum<br>Fabarum<br>Lupinorum &c. | coctæ in<br>Aceto<br>vel<br>Lacte,<br>decocto<br>emollienti. |

Furfures.
Cerealium.

Pulpæ. Caſſiæ
Pomorum.

Mica panis.

## EX REGNO ANIMALI.

Lac.

Stercora animalium, Vaccinum &c.

Poſtrema huius ordinis remedia quandoque emollientibus, quandoque anodynis magis combinanda, ut ſævities ſymptomatum leniatur. Omnia tamen relaxantia, præprimis emollientia, vix diu parti impoſita, ne inde ſuppuratio certius cieatur, relinquenda; dolore, irritatione, tenſione, remittentibus auferenda.

# IV. ANODYNA.

Antea recenſita. p. 147.



Landesbibliothek Oldenburg

## CLASSIS TERTIA.

# RESOLVENTIA.

Quæ humores inter ſolida ſtagnantes in minores partes ſolvunt, inde obſtructionem, partis tumorem, motus impotentiam auferunt, RESOLVENTIA: quæ eosdem attenuant, dividunt, ATTENUANTIA, quæ diluunt, DILUENTIA ſtrictius dicuntur.

Materies his haud adeo diverſa, eſt tamen quæ magis in ſolida, eſt quæ in fluida magis agat ſalina.

INDICANTUR I. Prioribus ſecundum exigentiam applicatis, inflammatione tamen nondum reſoluta, etiam in phlegmone oedematoſa.

II. In oedemate.

III. Tumoribus cyſticis.

IV. Tumoribus ſcirrhoſis.

V. Tumoribus aereis.

VI. Obſtructionibus aliis.

Verum quia humoris profunde impacti reſolutio obtineri ſolum poteſt, vel elaſticitate, irritabilitate, tenſione ſolidorum minutis, ſi aucta ſint, vel ſolidorum actione adaucta, ſi imminuta ſit, vel demum adauctis diametris, ut obſtruens molecula tranſire, vel humorum minuta mole, ut per anguſtias tranare poſſit, in totidem claſſes hæcce diſtribuenda reſolventia ſunt;

cum

cum vero, quæ elaſticitatem, irritabilitatem tollunt, tenſionem in ſolidis minuunt, relaxantia, emollientia ſint, eadem vaſorum diametrum adaugeant, contrahi hæc duo capita in unum poſſunt.

# I. RESOL. RELAXANTIA.

Ex Humectantibus.
Emollientibus.
Temperantibus.
Anodynis.
} conflata, priori capite dicta ſunt.

# II. RESOL. STIMULANTIA.

## LENIORA.

## EX REGNO VEGETABILI.

Apium.
Artemiſia.
Betonica. *Herb. flores.*
Chamomilla. *Herb. flores.*
Chamæpitys.
Chærophyllum.
Cicuta maior. *interne, externe, omni forma.*
Daucus.
Fœniculum.



Landesbibliothek Oldenburg

Hedera Terreſtris.
Hypericon. *Herb. flores.*
Marrubium.
Melilotus.
Sambuci *flores.*

## FORTIORA.

Abſynthium.
Vulgare.
Romanum.
Aniſum.
Arnica.
Arum.
Aſarum.
Bryonia.
Carvum.
Coriandrum.
Cuminum.
Ebulus. *Folia, cortex.*
Eupatorium.
Hyſſopus.
Iris. *Rad. Succus.*
Imperatoriæ *Radix.*
Iuglandis folia.
Iuniperus. *Folia. Baccæ.*
Lavendula.
Lauri. *Fol. Baccæ.*
Lupulus. *Herb. Turiones.*
Maiorana.
Meliſſa.
Mentha.

Peta-

Landesbibliothek Oldenburg

Petaſitis.
Polium.
Pulegium.
Roſmarinus.
Ruta.
Sabina.
Thuya.
Sambuci *cort. med. Fol.*
Saponaria.
Semina IV. calida Maiora.
Minora.
Scordium.

## EX REGNO ANIMALI.

Cantharides.

## EX REGNO FOSSILI.

Alumen plumoſum.
Arena calefacta oedemati applicata.
Ammoniacum ſal. *Flores.*
Petroleum.
Salia fere omnia maxime, vero alcalina in morbis frigidis.

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Ex Gummatibus ſimplicibus.
Ammoniaco.
Bdelio.
Euphorbio.
Galbano.
Opopanace.
Sagapeno.
} *Aceto Solutis.*

Ex

Ex aceti ſimplicis aut medicati vapore,
Oleis. Plantarum aromaticarum
Acrium,
Euphorbii.
Cucumeris aſinini,
Nicotianæ.
Philoſophorum,
Ceratis de cumino &c.
Emplaſtris
Diachylo,
De galbano.
De vigo ſimplice.
Cum mercurio,
Gummato.
Ireato,
Unguentis
De Artanita,
Neapolitano,

## *III.* RESOL. ATTENUANT.

### EX REGNO AQUEO.

Aqua,

### EX VEGETABILI.

Debiliora in cauſa calida, vide *Refrigerantia.* 143.

Ci-

Cichorii.
Endiviæ.
Tragopogoni.
Taraxaci.
Scorzoneræ. *Decocta*, *ſucci.*
Sambuci flores &c. infuſi.

## EX VEGETABILI.

Fortiora in cauſa frigida.

Allium.
Alliaria.
Armoracia.
Beccabunga.
Cochlearia.
Cepa.
Eruca.
Eryſimum.
Naſturtium.
Piperitis.
Porrum.
Raphanus. *Herb. Pulpa. Succus.*
Scordium.
Sinapi. *ſemina.*
Thlaſpios *ſemen.*

EX

## EX REGNO ANIMALI.

Serum lactis in inflammati reſolutione utile.

Millepedes. *Pulvis*, *Succus*, in pituitoſo magis.

## EX REGNO FOSSILI.

Sales.

Ammoniacum.

Borax.

Nitrum.

Mercurius, & Mercurialia.

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Ex Camphora. Camphoratis plerisque

Mellitis.

Saccharatis.

Cineribus clavellatis.

Saponibus *tam liquidis quam ſolidis*, ſolutis.

Tartari *ſale*. Oleo per deliquium.

Omnia hæc reſolventia non omnibus conveniunt caſibus, ut ingens pro indole morbi in his ſelectus. In inflammatione reſolutio ut obtineatur, relaxantibus incidentia feliciter adduntur. Fortiora ſtimulantia oedemati, tumori cyſtico, aereo, ſcirrhoſo, opponuntur. Incidentia ſtimulantibus fortioribus etiam iuncta in tumore aquoſo, paſtaceo præſcribuntur, relaxantia potiſſimum in eryſipelate.

CLAS-

Landesbibliothek Oldenburg

## CLASSIS QUARTA.

# SUPPURANTIA.

SUPPURANTIA, ſeu pus moventia, etiam maturantia, & concoquentia aliis dicta, illa habentur auxilia, quæ ſuppurationem, vel arcentia, vel retardantia impedimenta removent, eaque, quibus puris generatio perficiatur, requiſita ponunt. Equidem aliter hæcce definiri non poſſunt, quod ipſa natura concoquat, & puris generatio a ſanitate ſuperſtite dependeat, BOERHAAVE, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Cum igitur ſuppuratio naturæ, non medicamenti, effectus ſit, totum quod arte fieri poteſt, eſt, ut tollantur illa impedimenta, quæ boni puris, vel in vulnere, vel in abſceſſu, generationem prohibent, reliqua natura ſibi ſemper ſufficiens perficit. IDEM.

Indicantur ubi omni reſolutionis ſpe exciſa, tumor, calor, dolor, rubedo, & reliqua ſymptomata in parte inflammata augentur, non quidem ſumma cum velocitate, ſed continuo tamen incremento, IDEM. In hoc vero naturæ medicæ negotio, ſcrupuloſiori attentione opus, ut ea, quæ ſuperaddi debent auxilia, rite intelligantur. Eſt enim ubi iuvari non poſtulat: eſt ubi refrænari, eſt etiam ubi incitari velit, tum ubi quandoque binas poſtremas indicationes repletas deſideret; unde quatuor ſuppurantium Claſſes.

*I.* Quidem ubi natura ſibi ſufficit & pars ſolum ab aere externo arcenda, fovenda mollibus, humidis.

*II.* Ubi

Landesbibliothek Oldenburg

*II.* Ubi relaxanda eſt eadem.

*III.* Ubi ſtimulanda.

*IV.* Demum ubi, & emolliri, & ſtimulari ſimul pars debet.

## *I.* HUMIDA. MACERANTIA.

Dum artis auxilio, nec fræno, nec calcare indigens natura, carere poteſt, ſed inimicus ſolum arcendus aer eſt, calor, & humiditas in parte ſuppuranda conſervanda ſunt, quæ omnia ex moderamine ſymptomatum intelliguntur, tum demum hæc indicantur. Forma remediorum, ſomenti, cataplasmatis.

## EX REGNO VEGETABILI.

Acetoſa.

Armeniaca mala *cocta.*

Avena *cum aqua cocta, farina.*

Beta.

Braſſica.

Ceraſa.

Chondrilla.

Cichorium.

Dens leonis.

Endivia.

Fraga.

Hor-

Hordeum.

Lactuca.

Mercurialis.

Mora.

Parietaria.

Pomorum *pulpa.*

Raparum, *aſſatarum*, *coctarum* pulpa.

Secale *farina*, *panis*.

Spinachia.

Triticum.

Uvæ.

## EX ALIIS.

Aquæ calidæ vapor.

Cera.

Pix.

Stercora animalium *blanda*, *humida*.

---

## II. RELAXANTIA.

Quando tenſæ in parte inflammata carnes, membranæ emolliendæ, humorum minuendus impetus, impacti acris rodens vis corrigenda, vel demum gangrænæ metus adeſt, indicantur, maxime autem in anthrace, furunculis, QUESNAY. In contuſionibus nulla ſolutione continui facta, præſente magna inflammatione, dolore, urgentibus pervigiliis, & imminente partis ſuffocatione, GRASHUIS. His tamen ſæpe re-



Landesbibliothek Oldenburg

ſolventia miſceri debent, IDEM in quæſtione ab inclyta Academia Regia Chirurgica propoſita pro præmio 1746. *determiner ce que c'eſt que les remedes ſuppuratifs &c.* A ſpecie tamen relaxantium oleoſa, & oleis omnibus in vigore inflammationis pertinacis abſtinendum, ne pars nigreſcat citius, QUESNAY. Tum & hæc in parte corporis elaſtica ſcrupuloſius vitanda, ut in tendine, MUNNICKS, in nervo, IDEM, nec inflammato oſſi ſuperponenda, quia corrumpitur, HILDANUS, HEISTER. Sed huic irritantia conveniunt, ut euphorbium, ESCHENBACH, eadem in quæſtione ab *inclyta* academia regia chirurgica propoſita *Determiner ce que c'eſt que les remedes ſuppuratifs* &c. Forma horum, vaporis, fomenti, cataplaſmatis, unguenti, emplaſtri.

## EX REGNO AQUEO.

Aquæ calidæ vapor.
Vapor decocti emollientis.

## EX REGNO VEGETABILI.

Althæa. *Folia, Radix, Mucilago, farina.*
Alcea. *Folia, Radix, flores.*
Arabici *Gummi, Mucilago.*
Branca Urſina.
Caricæ pingues.
Ficus.
Lilii albi *Radix.*
Lini. *ſemen, farina, oleum.*
Malva.

Paſſ.

Paſſulæ Maiores.
Minores.
Semina mucilaginoſa
Cydoniorum.
Lini.
Pſyllii.
Symphyti radix.
Verbaſcum.

## EX REGNO ANIMALI.

Animalium ſtercora mollia.
Hominis.
Vaccarum.
Animalium pinguedines.
Anatis.
Caponis.
Porci &c.
Pinguia alia.
Butyrum.
Ceti ſperma.
Lactis cremor.
Medullæ.
Vitellus ovorum.

Pus ipſum maxime ſuppuratorium, MONRO *Society in Edimburg*. Vol. V. P. I. & in carie oſſium ſicca gangrænoſa utile balſamum, IDEM, unde etiam partium glanduloſarum ſuppuratio exſpectanda, & cruda nunquam incidenda glandula eſt, ut aliqui inflammatis mammis faciunt.



Landesbibliothek Oldenburg

# OFFICINALIA COMPOSITA.

Gummata

Ammoniacum } *oleo*
Bdelium
Galbanum &c. } *ſoluta.*

Olea varia Preſſa

Amygdalarum dulcium.

Lini.

Olivarum.

Raparum.

Cocta, emollientia, quæ cæterum a Chirurgis laudantur, inutilia ſunt.

Oleum ceræ.

Unguenta

Altheæ.

Baſilicon.

Populeum.

Cataplaſmata, de mica panis cum lacte.

Herbar. aceſcent. ſub cin. aſſat.

Emollientium.

Emplaſtra

Diachylon ſimplex.

De Gummatibus.

Mucilaginibus.

Malacticum.

De ſpermate ceti.

# *III.* STIMULANTIA.

Indicantur *I.* ubi inflammatione non reſolvenda natura exſtimulanda, ut incitato parum motu felicius ſuccedat ſuppuratio, præcaveatur ſcirrhus L. B. VAN SWIETEN, ubi in parte ſuppuranda tenſio nulla adeſt, ſed potius indolentia, ESCHENBACH *in quaeſtione de ſuppurantibus pro praemio ab Inclyta Academia Regia Chirurgica propoſita.*

*II.* In inflammatione œdematoſa.

*III.* In inflammatione in gangrænam tendente, ex cauſa maligna principium vitale debilitante, QUESNAY. l. c.

*IV.* In inflammatione in gangrænam terminata, ESCHENBACH Q. c.

*V.* In glanduloſis obſtructionibus, non reſolubilibus, nec tamen ſcirrhoſis, GRASHUIS. Q. c.

In hac ampla remediorum meſſe magna delectus eſſe cura debet, exigua tamen illi, qui naturam inflammationis, intenſitatem eius, & aliorum morborum conditionem exactius introſpexerit. Sic rubefacientia, & corroſiva. huius ſpeciei, partibus gangrænoſis iam tutius, quam adhuc inflammatis admoventur, ut & tumoribus ſaccatis, excreſcentiis carnoſis, fiſtuloſis, ulceribus ſuppurandis.

Forma varia cataplaſmatis, unguenti, pulveris.

## EX VEGETABILIBUS.

Abrotanum. *Herb.* } Summit.
Abſynthium. *Herb.* }
Alliaria.
Allii bulbus. *aſſatus*, *coctus*.
Ariſtolochiæ radix.
Cepa, *cocta*, *aſſata*.
Cicuta, magis reſolvens, minus calida.
Cortex medianus
Ebuli,
Sambuci.
Crocus.
Iuniperi *baccae*.
Ruta.
Seminum IV. Calidorum Maiorum } farina.
Minorum } cocta.
Sinapi *farina*.

## EX ARTEFACTIS.

Camphora.
Farinæ melle ſubactæ.
Olea ſtillatitia.
Salia
Ammoniacus.
Borax.
Terebinthina.

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Oleum. Euphorbii.
Myrrhæ per deliquium.

Unguenta
Baſilicum.
Maturativum.
Emplaſtra
Diabotanum.
Diachylum cum gummatibus.
De galbano crocatum.
Veſicatorium.

## FORTISSIMA RUBEFACIENTIA.

Alumen uſtum.
Ari Radix.
Bryoniæ Radix.
Canthanides.
Euphorbium.
Fermenta animata.
Olea Empyreumatica
Cornu cervi &c.
Oleum Philoſophorum.
Tartari per deliquium.
Spiritus acidi concentrati.
Sulphuris.
Vitrioli &c.
Spiritus ſalis ammoniaci.
Butyrum antimonii.
Lapis infernalis.
Lapis cauſticus.
Mercurius ſublimatus.



Landesbibliothek Oldenburg

# *IV.* EMOLLIENT. IRRITANTIA.

Indicantur potiſſimum in inflammatione partium glandulosarum, ſiquidem hæc in his in ſcirrhum ex facili tranſit, L. B. van SWIETEN, QUESNAY.

Forma unguenti. Emplaſtri. Cataplasmatis.

## EX VEGETABILIBUS LENIORA.

Gummi

| | |
|---|---|
| Ammoniacum<br>Bdelium.<br>Galbanum<br>Opopanax<br>Sagapenum &c. | Soluta aceto magis, vitello ovi minus ſtimulantia. |

## EX ALIIS ACRIORA.

Caſeus putridus.
Fel taurinum.
Fermenta.
Olea Rancida.
Sapo niger.
Theriaca.

## COMPOSITA OFFICINALIA.

Emplaſtra
- Diabotanum.
- Diachylon cum gummatibus.
- Divinum.
- Ireatum.

Tum

Tum medicamenta Nro. II. & III. varia combinata forma, huc faciunt omnia.

Et hactenus quidem de omni ſuppurantium medicamentorum ſpecie actum eſt; eſt tamen adhuc de his in genere tenendum, ſuppurantia a digeſtivis non adeo diſtincta eſſe, ſuppurantia maturando abſceſſui dicari, digeſtiva abſceſſui rupto, ulceri maturando impendi, utrinque, ut pus bonum laudabile fiat, imponi. Quoniam tamen etiam digeſtiva alio capite chirurgis recenſentur, ea hic ſubnectere lubet.

## *I.* DIGESTIVA EMOLLIENTIA.

### SIMPLICIA.

Propolis.

Adipes *liquatae.*

### COMPOSITA.

Unguentum.

Altheæ.

Baſilicum.

## *II.* BALSAM. STIMULANTIA.

### SIMPLICIA.

Balſama,

Copayvæ.

Peruvianum.

Opobalſamum.

Terebinthina.

### COMPOSITA.

Balſamum Areæi.

Tinctura Aloes.

Myrrhæ.

# *III.* ADSTRINGENTIA.

## SIMPLICIA.

In Mat. Med. T. II. dicta.

## COMPOSITA.

Mel Roſatum.

Aqua Calcis, potius ſiccans.

# *IV.* ESCHAROTICA.

Vide rubefacientia fortiora ſub tertia ſuppurantium ſpecie. Cæterum hæc partibus nervoſis applicari non debent; quæ enim has mordent; non raro convulſiones ciere ſolent.

CLAS-

## CLASSIS QUINTA.

# DETERGENTIA.

DETERGENTIA, deterſiva, etiam mundificantia, ea dicuntur remedia, quæ ex vulnere purulento, vel ulcere, omnia auferunt obſtacula, ut vulnus coire, ulcus compleri poſſit. Verum cum hæcce obſtacula tam ab ipſo pure vel qualitate, vel quantitate peccante, quam a corruptis vaſorum, & mortuis extremitatibus ponantur, medicamenta detergentia his obveniant neceſſe eſt, ut vel inde multiplex horum claſſis, & varia forma intelligantur. Indicantur vero detergentia in omni ulcere, excepto cancroſo, in quo lenientia ſolum conveniunt, FLEURANT *dans la Queſtion pour le prix 1746. determiner ce que c'eſt que les Remedes deterſifs &c.*

## I. DETERG. DIGESTIVA.

Hæc in omni abſceſſu rupto, ulcere primis ſtatim diebus, ut ſemimortua vaſorum extrema, ſuperficiem ulceris conſtituentia, a vivis abſcedant partibus ſicque reddantur puræ, L. B. van SWIETEN, indicantur. Non eſt tamen his diu inſiſtendum omnium conſenſu, ſiquidem marasmum, & carnem fungoſam inducunt, LOUIS *dans la Queſtion propoſée des deterſifs 1746.* maxime, ſi ex ſolis emollientibus pinguibus

bus conſtent. Et in integrum his abſtinendum, ſi ulcus vividam firmam carnem habet, ſi digeſtiva in ulcere dolorem cauſant, & mordent, FLEURANT Q. c. Quæ vero forma lavamenti præſcribantur, ſequentia ſunt:

Abſynthium.
Alliaria.
Enula Campana.
Hedera terreſtris.
Hypericon.
Hyſſopus.
Marrubium.
Mentha.
Pulegium.
Veronica.
Virga aurea &c.

Quæ forma unguenti.

## PINGUIA EMOLLIENTIA.

Albumen ovi.
Axungiæ.
Olea preſſa.
infuſa.
cocta.
Pinguedines.
Seva.

## BALS. LIQUIDA STIMULANT.

Copayvæ.
De Mecha.

Pe-

Peruvianum.
Terebinthina &c.

## BALS. SICCA STIMULANTIA.

Myrrha.
Olibanum.
Styrax.

Eſt ubi pinguia ſolum, ſed raro, eſt ubi hæc cum balſamis varia inter ſe commiſcentur proportione, ut iam maior vis emolliens, iam ſtimulans maior, pro ipſius ulceris conditione habeatur. Sic ex balſamo nativo quocunque, vitello ovorum, & melle, digerens tale medicamentum optimum conficitur, L. B. VAN SWIETEN. Si ulceris ſuperficies rubere, puris imminui quantitas incipiat, eſt ab oleoſis abſtinendum, ut & digeſtivis aliis ſtimulantibus.

## OFFICINALIA COMPOSITA.

| | | |
|---|---|---|
| Syrupi. | Abſynthii | in unguenti formam cum melle acti. |
| | Enulæ. | |
| | Hederæ Terreſtris. | |
| | Hyſſopi &c. | |

Unguenta.
Apoſtolorum.
Baſilicum.
Digeſtivum &c.

Sapones aqua ſoluti, oleo, ſyrupo, unguento mixti, unguenti vel lavamenti formæ inſerviunt, & efficaciter omnino detergunt.

## *II.* DETERG. IRRITANTIA.

Irritantia tum ulceribus immittuntur, dum a prioribus non ſatis excitata natura, mortuarum a vivis ſeparationem fibrarum efficere haud potuit, hinc ulcus mundatum non fuit. Acriori itaque ſtimulo opus. Et quidem præter balſama priora, quæ minuta ſolum pinguium quantitate, etiam digerentia irritantia ſunt, formæ lavamenti inſerviunt

### EX REGNO AQUEO.

Aquæ minerales ſalinæ, & ſulphureæ, quæ diverſis in regionibus variæ nobis ſunt:

Aquæ Egranæ<br>
Carolinæ } in lotione, embroca.<br>
Badenſes

Formæ huic, vel alteri, unguenti nempe, famulantur

### EX REGNO VEGETABILI.

Antiſcorbuticæ, omnes acres plantæ.<br>
Perſicaria urens.<br>
Ruta.<br>
Sabina.<br>
Scordium &c.

### EX ANIMALI.

Urina vel ſimplex, vel virtute præcedentium dives.<br>
Bilis animalium.

EX

Landesbibliothek Oldenburg

## EX FOSSILI.

Alumen. Etiam adſtringens.
Sal Ammoniacum. } Mordacia.
Borax.
Marinum.
Vitriolum, etiam adſtringens.

## OFFICIN. SIMPLIC. COMPOSITA.

Mel } Leniora.
Saccharum.
Sapo.
Tinctura
Aloes.
Myrrhæ.
Aqua phagadænica.

## FORTISSIMA.

Alcalinorum ſalium lixivia.
Alumen uſtum.
Calx æris.
Viride aeris.
Mercurius præcipitatus Ruber.
Sublimatus corroſivus.
Lapis infernalis.
Unguentum Ægyptiacum.

Quæ omnia variis inter ſe modis pro caſus neceſſitate combinantur. Notandum, corrodentia hæcce ultima, ulceri ſordido rebelli, etiam fungoſa carne luxurianti, tantum convenire, his novam inflammationem, & ſuppurationem moveri, eſſe igitur ſemper his detergen-

gentia digeſtiva mollia ſuperponenda, ut eo facilius eſchara ſecedat.

## III. DET. ANTIPUTREDINOS.

Sæpe etiam ex ulcere fœtidus ichor manat, colore nigro lintea inficiuntur, inſtrumenta tinguntur; tum quæ putredini reſiſtant, indicantur, LOUIS. Hæc vero multum variant pro indole & natura ulceris, a cauſa ſpecifica exorti; ita in venereo ſemper mercurialia his adduntur, in ſcorbutico ſuccus citri, gummi laccæ tinctura aluminoſa, ſpiritus ſalis marini, in cancroſo vis cicutæ commiſcetur, in ſcrophuloſo oxymel ſquilliticum, & alia, antiputredinoſis balſamicis iunguntur.

Forma varia eſt.

### EX SIMPLICIBUS.

Acetoſellæ *Succus*.
Aurantiorum Acidorum. } *Succi*.
Citri } *Succi*.
Lemoniorum } *Succi*.
Acetum.
Omphacium. *Simul adſtringens*.
Tartarus, acidus, & ſalinus.

### EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Acetum Rutaceum. *ſimul vulnerarium*.
Theriacale. *Stimulans*.
Mel Roſatum.



Landesbibliothek Oldenburg

Oxymel ſimplex.
Squilliticum. *Incidens, ſtimulans.*
Oleum Terebinthinæ.
Spiritus Vini. *Coagulans.*
Campheratus.
Salis marini } *Simul cauſtici.*
Nitri dulcis. }
Tincturæ
Aloes } *condientes.*
Myrrhæ }
Gummi laccæ, ſpirituoſa.

Et hæc quidem præcipua horum materies eſt, non tamen in omni putrido ulcere conveniens omnis, quod ſpiritus vini in ulceribus cerebri, cerebrum a corruptione haud præſervet, QUESNAY. *Memoir. de l'Acad. de Chirurgie* T. I. bene vero oleum terebinthinæ, balſamum commendatoris, IDEM. adhæc in carie oſſis carioſi tinctura Aloes ſæpe alvi profluvium ſuſcitavit. *Alex.* MONRO. *Society in Edimb.* Vol. V. P. I.

## CLASSIS SEXTA
# EXSICCANTIA.

Quæ nimiam partis humiditatem abſorbent, partemque ſicciorem reddunt, EXSICCANTIA, Indicantur

*I.* Dum plurimo, & nimis tenui humore vulnus, ulcus madet. L. B. van SWIETEN.

*II.* Dum alia corporis humani ſana pars incommodo conſtanter ſudore perfunditur: ſed his rebus multo opus iudicio, ut, an ſiccare conveniens, intelligatur.

*III.* In pertinaci vaſis rupti, diſciſſi, ſanguinis, ſeri, lymphæ fluxu, aut ſtillicidio.

Contraindicantur vero

*I.* In punctura, CHARMETTON in Quæſtione ab inclyta Academia Regia propoſita pro præmio 1748. *Determiner ce que c'eſt que les Remedes deſſicatifs, & les cauſtiques.*

*II.* In ulcere veteri, annoſo.

*III.* In ulcere quocunque inflammato, ſicco, dolente, NANNONI, in eadem quæſtione pro præmio 1748.

Cum vero perpetua illa, & moleſta humoris transſudatio vel ex tenuitate humoris per partem fluentis,

vel ex debilitate partis humores haud coercentis oriatur, exſiccantium duo generalia conſtituentur genera, hæc humores, illa ſolida corrigentia, inſpiſſantia nempe, & adſtringentia, quorum priora interno dicata uſui magis, in Materia Med. T. II. dicta, hic haud repetam, cum de unica horum diviſione ſolum dicturus ſim, de coagulantibus nempe, tum de adſtringentibus. Verum quia in recenti, nimio humore perfuſo, ulcere, ſæpe nec evidens fluidorum tenuitas, nec certa ſolidorum relaxatio criminari poteſt, proin operoſa hac curatione opus non ſit, medicamenta exſiccantia ratione effectuum in ſequentes claſſes diſtribuo.

## *I.* EXSICC. BIBULA.

Hæc indicantur *I.* dum nec in fluidis, nec in ſolidis multa labes, ſed ex ſolo fotu extravaſati, maceratione leniori, ancipites ulceris recentis extremitates elaterem ſuum amiſere quodammodo, ut impulſum viribus cordis humorem non coercere amplius, nec in vaſa lateralia ſufficienter impellere poſſint.

*II.* Ubi completo bonis avibus ulceri, cicatrix inducenda, CHARMETTON.

*III.* Ubi in oſſium carie incommodus ex oſſium cellulis humoris proventus Alex. MONRO, *Society in Edimburg* T. V. P. I.

Inter hæc ſunt

| | |
|---|---|
| Plumaceola ſimplicia, Raſa, | fumis aromaticis imbuta ſicca. |
| Spongia præparata. | |

Hæc

Hæc vero cum lævia, poroſa, ſicca ſint, ex extremitatibus hiantium vaſorum humidum bibendo, & in ſe attrahendo, ulceris liberant ſuperficiem, ſiccioremque reddunt, ut haud continuo amplius maceratis, puncta contactuum augeantur, cohæſio increſcat, impulſis reſiſtentia fluidis maior ponatur, coerceantur fluida arctius, & per lateralia vaſa diſtribuantur felicius, ſic demum totus compleatur hiatus. Nec repugnarem bibulos terreſtrium pulveres in hanc claſſem revocanti, qui ſi impalpabiles ſint, in parte molli indicantur, L. B. van SWIETEN, in oſſea minus, *Cl.* MONRO. Ex hoc cenſu ſunt

Cancrorum lapides *praeparati.*
Corallia rubra *praeparata.*
Oſſa *calcinata*, præcedentibus magis bibula, ſed etiam magis cauſtica caute applicanda.

---

# *II.* EXSICC. ADSTRINGENTIA.

In ſolidis ſuppuratione maceratis debito maior, quam quæ ſimplici humidi abſorptione emendetur laxitas, medicamenta, elementa fibrarum arctius compingentia, coadunantia requirit; quæ quoniam etiam imperſpirabilem partem reddunt, ob id duplicem indicationem explent. Inter hæc uſitatiora ſunt

Aqua frigida in recenti ulcere proficua, CELS.
Aqua aluminoſa.
Bolus.



Landesbibliothek Oldenburg

Calaminaris lapis.
lapidis *praeparationes.*
Pompholyx.
Tutia.
Hæmatites Lapis.
Plumbi *praeparata.*
Cerufſa.
Minium.
Lythargyrus.
Saccharum ſaturni.
Terra Aluminis.
Zinci flores.

## OFFICINALIA COMPOSITA.

Unguenta.
Album ſimplex.
Ad ambuſta.
Comitiſſæ.
De Lythargyro.
De Minio.
Nihili.
De Tutia. Simul Anodynum.
Emplaſtra.
Album coctum.
Diapalmæ.
De Lapide calaminari.
Defenſivum.
Saturninum.
Stypticum.
Triapharmacon.

*III.* EX-

# *III.* EXSICC. AROMATICA.

Indicantur, dum ſtimulo opus, ut ſolutæ fibræ vis prior infundatur.

## EX SIMPLICIBUS.

Camphora.
Colophonia. Lenior.
Gummi.
  Elemi.
  Iuniperi.
  Myrrhæ.
  Tacamahaca.
Maſtiche.
Olibanum.
Sarcocolla.
Styrax.

## EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Aquæ vulnerariæ.
Lac Virginale.
Spiritus vini ſimplex.
  Camphoratus.
Tinct. præcedent. ſimplicium, aliæ Aromatic.
Unguenta.
  Album Camphoratum.
  Digeſtivum ſpiritu vini camphorato &c. animatum.
Emplaſtra
  Divinum.
  Gryſeum.
  Oxicroceum. &c.

Feliciter admodum hæcce prioribus iunguntur. Sic in ſpiritu vini alumen ſolvitur bono effectu, alia aliter combinari poſſunt. Ex his vero omnibus, a quarta Claſſe ſuppurantium nempe, huc usque recenſitis, facile patet:

Quid cenſendum de ſarcoticis ſit, & quæ eligenda: cum enim ea, quæ regenerationi carnis deperditæ favent, SARCOTICA merito habeantur, & ſuppurantium, ſeu digeſtivorum omnes ſpecies, omnes detergentium, tum demum, & exſiccantium huic famulentur, ea ſarcotica eſſe clarum, hinc, ut hæc multiplicia, calida, frigida, humida, ſicca, emollientia, adſtringentia, ſic & illa eſſe evidens. Non datur igitur ullum medicamentum univerſale vel digeſtivum, vel detergens, vel exſiccans, minus adhuc ſarcoticum, ut materia chirurgica a multis inutilibus liberari poſſit. In arte ſalutari perpetuo ſummum erit cognitio exacta morbi, huic ſoli remedium facile; nec obſtant ſpecifica.

CLAS-

Landesbibliothek Oldenburg

## CLASSIS SEPTIMA
# CAUSTICA.

Quæ urunt, rodunt, conſumunt partes corporis humani, quibus applicantur, CAUSTICA dicuntur. Hæc vero duplicia ſunt, actualia vel potentialia: priorum etiam in cadaver actio eſt, ignis enim omnia conſumit: poſteriorum ſolum in corpus vivens: funeſtum hinc omen, dum non urunt amplius veſicatoria.

Duæ potentialium, de quibus hic unicus ſermo, claſſes conſtituuntur.

*I.* Rubefacientium.

*II.* Cathereticorum, ſeu eſcharoticorum vel ruptoriorum eſt. Quibus in morbis quæque indicentur, ſub ſpeciebus dicetur.

## *I.* RUBEFACIENTIA.

Quæ maiori ad partem corporis, cui applicata fuere, concitato per ſtimulum, quem habent, humorum affluxu, rubere partem faciunt, RUBEFACIENTIA, Epiſpaſtica; quæ puſtulas, aut veſicas excitant, VESICANTIA, vel veſicatoria appellantur.



Landesbibliothek Oldenburg

Indicantur. *I.* In avertenda in partem nobilem, vel irritabilem humorum fluxione: ſic in oculorum, dentium, auricularum morbis, locis retro aures, vel nuchæ agglutinantur, CHARMETTON, licet in dolore dentium vehementiori arteriæ temporali nonnulli, alii maxillæ angulo imponant.

*II.* In evocando impacto ex parte quadam humore, ut in iisdem morbis, tum in doloribus rheumaticis, arthriticis, iſchiadicis, &c. An conveniant in morſu venenato? bonus ab his effectus obſervatus in *Act. Nov. Acad.* N. C. quem haud placere video CHARMETTON. an recte?

*III.* In revocando humore repulſo, ut in podagra retropulſa &c. ulceribus manantibus capitis exſiccatis, & inde maiori orto malo, epilepſia &c. L. B. van SWIETEN. Sed tum parti, unde repulſus humor, applicanda ſunt.

Contra indicantur vero in bubone venereo, tumore ſcrophuloſo, CHARMETTON. Forma varia ſolida, cataplasmatica, emplaſtica.

## EX VEGETABILIBUS.

Allium.
Arum.
Cyclaminus.
Clematis.
Eſula.
Euphorbium.
Flammula.
Piper.
Pyrethrum.

Ra-

Ranunculi.
Raphanus Ruſticanus.
Ruta.
Sinapi.
Staphyſagriæ ſemen.

## EX ANIMALIBUS.

Cantharides.
Stercus Columbarum.

## EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Fermentum Panis.
Emplaſtrum Veſicatorium.

Si ablata a veſicante facta veſica, effuſo humore, ſiccare conſilium, primo mollia, pinguia digeſtiva, dein exſiccantia imponuntur; ſi partem attracto humore ulterius perfundi opus, leniora rubefacientia, digeſtiva ſtimulantia admoventur; & hæc quidem omnia pro intentione medentis varia eſſe ſolent.



Landesbibliothek Oldenburg

# *II.* CATHAERETICA
SEU
# ESCHAROTICA.

Hæc fibras corporis omnes, tam cutaneas, quam carneas, & alias deſtruunt.

Indicantur *I.* Si ſungoſa in ulcere haud ſenſibili caro, coalitum impedit.

